

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXXXV. Continens Historiam Exitus Christi Ad Caesaream Philippi Et
Confessionem Petri Nomine Apostolorum. Matth. 16. v. 13. Marc. 8. v. 27.
& Luc. 9. v. 15.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

opera ipsorum sunt mala. Joan. 3. v. 19. In his Deus hujus seculi excœcavit mentes infidelium, ut non fulgeat ipsis illuminatio Evangelii gloriae Christi. 2. Cor. 4. vers. 4. Illi, si postea corpore anima que pereant, quid mirum? cum salus ipsa tales homines, qui scientes volentes in exitium ruunt, salvare non possit. Exemplum talium præfracte cœcorum habemus in Judæis, quibus splendidissima lux concionum & miraculorum Christi affulsit, una cum plurimis Circumstantiis & signis à Prophetis prædictis, ex quibus, si non videre voluissent, certe manibus palpate potuissent, Jesum esse illum antiquitus promissum humani generis Messiam Sed obstinate quasi oculos clauderunt, ut ne ex cœcitate sua liberarentur. Unde merito Christus ipsis dixit, Joan. 9. v. 41. Si cœci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Quia videmus, peccatum vestrum manet. His non absimiles sunt nostra ætate Pontificii, & inter hos cum primis Jesuitæ, qui in clarissima luce Evangelii adhuc cœcutiunt, & palpabiles errores, quos superiorum seculorum tenebræ invexerunt, mordicus tueri & retinere conantur: quales sunt idololatrica invocatio Sanctorum, sacrificium Missæ, communio sub una specie, peregrinationes ad Divos, indulgentiæ Papales, prohibitio ciborum & conjugii, purgatorius ignis, & consimilia multa, de quibus puer septennis ex verbo Dei informari potest, quod sint commenta hominum otiosorum. Pro his tamen Jesuitæ non aliter quam pro aris & focis dimicant. Unde vero? Non aliunde, nisi quia cœci sunt oculis, auribus, mente. Si cum illo cœco Luc. 18. v. 41. orarent: Da, Domine, ut videam: utique per ipsius gratiam illuminarentur. Nunc quoniam cum Pharisæis Joan. 9. v. 40. dicunt: Nunquid & nos cœci sumus? Vel potius cum angelo Laodicensis Ecclesiæ, Apoc. 3. v. 17.

quia dives sum & locupletatus, & nullius egeo: & nesciunt, quia sunt miseri, pauperes, cœci & nudi: ideo ipsorum peccatum manet. Imo iusto Dei iudicio magis magisque excœcantur. Jof. 6. v. 10. Et juxta Paulum 2. Thes. 2. v. 10. eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Quarto plena autem restitutio spiritualis hujus visionis demum futura est in novissimo die, qui propterea Act. 3. v. 21. dicitur dies *ἀποκαταστάσεως πάντων*, restitutionis omnium. Quia tum nulla caligo amplius nostros molestabit oculos. Nunc videmus per speculum in anigmate: tunc autem videbimus à facie ad faciem. Nunc cognoscimus ex parte: tunc autem cognoscemus, sicut & cogniti sumus. 1. Cor. 13. v. 12. Tunc in carne nostra videbimus Deum, & in Deo posse fieri sumus omnia. Videbimus Redemptorem nostrum, qui est ancora, prora & puppis salutis nostræ: cum visuri sumus nos ipsi, & oculi nostri eum conspiciunt, Job. 19. v. 26. Tunc simul cum illis, qui ex mortuis resurrexerunt, in nubibus obviam rapiemur Christo in aere, & sic semper cum Domino erimus, 1. Thes. 4. v. 17. Interim qui jam illuminatus est, non debet redire in vacuum, hoc est, ad pristinos suos sodales: alias hi ipsum aut irridebunt, aut ad priores cœcitatibus tenebras ipsum rursus præcipitabunt. Sed abeat in domum suam, hoc est, ingrediatur penetrale cordis sui, & diligenter ipse secum expendat, qualis antea fuerit per naturam, qualis nunc sit per Dei gratiam: & quoniam sit relapsurus, nisi per Dei gratiam conservetur. Sic semper apud seipsum habiturus est anam, & gratias Deo agendi pro bonis præstitis, & eundem precandi pro donis ulterius præstandis.

CAPUT LXXXV.

CONTINENS HISTORIAM EXITUS CHRISTI AD CÆSAREAM PHILIPPI ET CONFESIONEM PETRI NOMINE APOSTOLORUM. MATTH. 16. v. 13. MARC. 8. v. 27. & LUC. 9. v. 15.

RATIO ORDINIS.

L Evangelista Matthæus, mox post disputationem cum Pharisæis & Sadducæis habitam, deducit Jesum per fretum ad Cæsaream Philippi. Nec dissentit Marcus, præterquam quod interferit historiam de cœco sanato in Bethsaida, quod miraculum in itinere factum est. Ideo merito Lucas ad horum descriptionem accommodandus. Jesus enim Pharisæorum ineptis disputationibus serio offensus, cum in ulteriorem ripam venisset, rursus egressus est ad fines gentium. Et cum per vi-

cos, qui ad urbem Cæsaream pertinebant, solis Apostolis comitatus iter faceret, alicubi orandi gratia substiterit. Cumque rursus pergeret, accidit memorabile illud colloquium, quod cum Apostolis instituit, de variis hominum opinionibus, de persona & officio Christi, & de Apostolorum confessione, quam Christus ponit fundamentum ministerii atque Ecclesiæ. Multa autem capita complectitur hæc historia, quæ quia singula digna sunt accurata observatione, diligentius etiam tractabimus.

HISTO-

HISTORIA PETRI CONFITENTIS JESUM ESSE CHRISTUM, ET PROPTEREA COLLAUDATI.

MATTH. 16.

- 13. Ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὰ μέρη Καισαρείας ἔφιλίππου καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, λέγων· τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;
- 14. Οἱ δὲ εἶπον, οἱ ἑβραῖοι τὸν βαπτιστῆν, ἄλλοι δὲ ἡλιαν ἢ ἕνα τῶν προφητῶν.
- 15. Λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς ἢ τίνα λέγετε εἶναι;
- 16. ἀπεκρίθεις ὁ Σίμων Πέτρος εἶπε· σὺ εἶ ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ζῶντος.
- 17. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, μακάριε εἰ σίμων βαρθολομαὸν οὗ σαββᾶ καὶ αἵμα τοῦ ἀνεκαλύψῃς μοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ἐν τοῖς οὐρανοῖς.
- 18. Καγὰρ δεῖ σε λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ τῷ τῆ πέτρα κτισθήσεται ἡ ἐκκλησία μου, καὶ ἡ πόλις αὐτῆς κτισθήσεται.
- 19. καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖδας τοῦ βασιλείου τοῦ οὐρανοῦ. καὶ ὅτι ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδηλωθὲν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ ὅτι ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυθὲν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.
- 20. τότε διετείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα μηδεὶς εἰπῶσιν, ὅτι αὐτὸς υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

- 13. Cum venisset autem Jesus in partes Caesareae ejus, quae cognominatur Philippi, interrogavit discipulos suos, dicens: quem me dicunt homines esse, filium illum, hominis?
- 14. Illi vero dicebant: alii quidem Joannem Baptistam, alii vero Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum da numero Prophetarum.
- 15. Dicit illis: At vos quem me dicitis esse?
- 16. Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viventis.
- 17. Et respondens Jesus dixit illi: Beatus es Simon Bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in caelis.
- 18. At ego vicissim tibi dico, quod tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo meam Ecclesiam, et portae inferorum non valebunt adversus illam.
- 19. Et dabo tibi claves regni caelorum: Et quicquid alligaveris in terra, erit alligatum in caelis: Et quicquid solveris in terra, erit solutum in caelis.
- 20. Tunc edixit discipulis suis, ne cui dicerent, quod ipse esset Jesus Christus.

MARC. 8.

- 17. καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὰς κώμας Καισαρείας ἔφιλίππου, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτησε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγων· αὐτοῖς· τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι;
- 18. οἱ δὲ ἀπεκρίθησαν, ἰωάννην τὸν βαπτιστῆν, καὶ ἄλλοι ἡλιαν, ἄλλοι δὲ ἕνα τῶν προφητῶν.
- 19. καὶ αὐτὸς λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς ἢ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀπεκρίθεις δὲ ὁ Πέτρος εἶπε, λέγων αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ χριστὸς.
- 20. καὶ ἐπέτιμῃσεν αὐτοῖς, ἵνα μηδεὶς λέγῃσιν περὶ αὐτοῦ.

- 17. Et egressus est Jesus et discipuli illius in vicos Caesareae, quae cognominatur Philippi. Et in via interrogavit discipulos suos, dicens illis: Quem me dicunt homines esse?
- 18. Illi vero responderunt: Joannem Baptistam, et alii Eliam, alii rursus unum de numero Prophetarum.
- 19. Et ipse dicit illis: At vos quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus, dicit illi, Tu es ille Christus.
- 20. Et interminatus est eis, ne cui dicerent de se.

LUC. 9.

- 18. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν περὶ οὐροῦ κατὰ μόνας, συνήσεν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς, λέγων· τίνα με λέγουσιν οἱ ὄχλοι εἶναι;
- 19. οἱ δὲ ἀπεκρίθησαν εἰπὼν, ἰωάννην τὸν βαπτιστῆν, ἄλλοι δὲ ἡλιαν, ἄλλοι δὲ, ὅτι προφήτης τις τῶν παλαιῶν ἀνέστη.
- 20. εἶπε δὲ αὐτοῖς, ὑμεῖς ἢ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀπεκρίθεις δὲ ὁ Πέτρος εἶπε, τὸν χριστὸν τοῦ Θεοῦ.
- 21. ὁ δὲ ἐπιμύθησας αὐτοῖς, παρήγγειλε μηδεὶς εἰπεῖν τῆτο.

- 18. Et factum est, cum solus esset ipse orans, erant cum eo discipuli, interrogavitque illos, dicens: Quem me dicunt esse turbae?
- 19. At illi respondentes dixerunt, Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero, quod propheta quispiam de antiquis surrexit.
- 20. Dixit autem illis, vos autem quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus dixit, Christum Dei.
- 21. At ille comminatus illis praecepit, ne cui dicerent hoc.

HARMONIA HUIUS HISTORIAE EX TRIUM EVANGELISTARUM DESCRIPTIONIBUS COAGMENTATA.

a καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς, b καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, a εἰς τὰς κώμας, b εἰς τὰς κώμας e Καισαρείας ἔφιλίππου. καὶ c Et factum est, cum solus esset ipse orans, erant cum eo discipuli. h Et b in l via interrogavit c ipsos b discipulos suos, l dicens b illis: l Quem me dicunt e ho-

e Et egressus est Jesus, b et discipuli ejus, a in partes, b in vicos e Caesareae, quae cognominatur Philippi. c Et factum est, cum solus esset ipse orans, erant cum eo discipuli. h Et b in l via interrogavit c ipsos b discipulos suos, l dicens b illis: l Quem me dicunt e ho-

λέγεσιν εἰ οὐκ ἀνθρώποι, ἢ οἱ ἄγγελοι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ
 θεοῦ; ἢ οἱ ἡ δόξα κληθέντες εἶπον, αἱ οὐκ ἴσμεν
 ἢ βαπτιστῶν, ἀλλοὶ ἢ Ἡλίαν, ἀπὸ τοῦ Ἰερουσαλὴμ, ἀλλοὶ
 ἢ εἰνατὸν παροφθαλμῶν, ὅτι παροφθαλμῶν τῶν ἀρχαίων ἀνέ-
 στη. β Καὶ αὐτὸς λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς τίνα με λέγετε εἶναι;
 δόξα κληθείς ἢ α Σίμων β ὁ Πέτρος. εἶπεν δὲ αὐτῷ, σὺ
 εἶ οὐκ ἔστις υἱὸς τοῦ θεοῦ. ε σου γὰρ εἶ οὐκ ἔστις υἱὸς τοῦ
 θεοῦ. καὶ δόξα κληθείς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, μακάριος εἶ Σίμων
 βάρθολομαῖ, ὅτι σὺ εἶ καὶ αἷμα σου ἀπεκαλύψῃς, ἀλλ'
 ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ γὰρ ἔτσι λέγω, ὅτι σὺ εἶ
 Πέτρος. καὶ ὅτι ταύτην τὴν πέτραν οἰκοδομήσω μετὰ τὴν ἐκ-
 κλησίαν, καὶ πύλαι αἰῶν καὶ κλιμακώσεις αὐτῆς. καὶ δώσω
 σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τοῦ οὐρανοῦ. καὶ ὅ ἐὰν δέσῃς ἐπὶ
 τῆς γῆς, ἔσται δεδεμμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ ὅ ἐὰν λύσῃς
 ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. τότε διεπέλα-
 σεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, β καὶ ἔπιτιμήσας ε παρήγγειλεν
 ἡ αὐτοῖς, εἶνα ἡ μὴ δύναιτο ἑσπῶσιν ἐν τῷ πνεύματι, ἀλλ'
 αὐτοὶ εἶναι ἰησοῦς ὁ χριστός.

mines c turba, I esse, a filium illum hominis? Illi vero
 h respondentes f dixerunt: a alii quidem I Joannem Ba-
 ptistam, alii vero Eliam, a alii vero Jeremiam, b alitero,
 unum de numero prophetarum, c quod Propheta quisi-
 am de antiquis surrexit. b Et ipse dicit illis: At vos quem
 me dicitis esse? Respondens autem a Simon I Petrus dixit
 illi, c Christum Dei. e Tu (enim) es Christus ille a sa-
 lus es Simon Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi,
 sed pater meus, qui est in caelis. Et ego vicissim tibi dico,
 quod tu es Petrus, & super hanc petram edificabo meam
 Ecclesiam, & portae inferorum non valebunt adversari illum.
 Et dabo tibi claves regni caelorum: Et quicquid alligaveris
 in terra, erit alligatum in caelis: & quicquid solveris in
 terra, erit solutum in caelis. Tunc edixit discipulis suis, h
 & interminatus e praecepit h illis, e ne I cui dicerent e hoc
 b de ipso, a quod ipse esset Iesus Christus.

Periocha hujus Historia.

ANte omnia locus indicatur, in quo hoc col-
 loquium institutum, insignisque illa con-
 fessio edita est. Nominatur autem *Caesarea Phi-
 lippi*. Hæc civitas sita fuit in confinio Phœnicia,
 ad radices montis Libani, in loco, ubi fontes Jor
 & Dan commiscuntur, in agro compacto & fœ-
 cundo, ac omnis generis fructibus affluentem. An-
 tiquitus dicta fuit Lefem, *Jof. 19. v. 47.* vel etiam
 Lais, *Jud. 18. v. 7.* At postea cum quidam ex filiis
 Dan ob incursiones Chananæorum sedem suam
 mutare cogitarent, missisque exploratoribus, &
 deprehensis incolis ejus securis, vi illam occu-
 passent, mox eandem reparantes, conjunctis dua-
 bus dictionibus Lefem Dan eam vocarunt, se-
 cundum nomen Dan patris sui. Fuit locus omni
 tempore idololatriæ nomine celebris. Nam mox
 initio Danitæ ibi confidentes, argenteum idola-
 tum sibi erexerunt, quod una cum Ephod & sa-
 cerdote & domo Michæ in monte Ephraim ha-
 bitantis, violenter abripuerant. Postea Jeroboam
 idolomaniam hanc adauxit, erigendo in eodem
 loco vitulo aureo, quem Israelitæ loco veri Dei ex
 regis præscripto colebant, ne Jerosolymam usque ad-
 scendere cogentur. *1. Reg. 12. v. 29.* Contra quam
 idolomaniam omnes fere Prophetae pugnarunt,
 donec Israelitæ à Teglatphalassar & Salmanassar
 captivi in Assyrios sunt abducti. *2. Reg. 17. v. 6.*
 Tandem cum hæc urbs Romanæ pareret potesta-
 ti, tam à Græcis quam Latinis historiographis Pa-
 neas appellata est, à Paneade fonte, qui eam alluit.
 Quo tempore etiam hic honor ei accessit, ut non
 solum in numero civitatum Decapoleos censere-
 tur, sed etiam Ituræ & Traconitidis regionum
 metropolis esset. Hanc civitatem Philippus, Hero-
 dis majoris filius & frater illius, qui Joannem Bap-
 tistam decollavit, in tetrarchiæ suæ sedem eligens,
 amplius ac novis ædificiis instauravit, utque glorio-
 so nomine eam illustraret, in Tiberii Cæsaris hono-
 rem, & ad perpetuam nominis ipsius celebratio-
 nem, *Caesaream* nominari voluit. Quia autem Hero-
 des major in Judæa juxta mare quoque civitatem
 magnis sumptibus in honorem Cæsaris Augusti ex-

struxerat, in eo loco, qui prius dicebatur turris
 Stratonis, ut scribit Josephus lib. Antiquit. 15. cap.
 12. & illam ipsam quoque Cæsaream appellat:
 hæc ad illius differentiam dicta est *Caesarea Philippi*.
 Post Christi autem tempora, Agrippa rex, cum
 Cæsareæ pomeria amplius dilaret, in honorem
 Imperatoris Neronis eam Neronianam sive Nero-
 diada appellavit, teste eodem Josepho lib. Antiquit.
 20. cap. 16. Sed neque hoc nomen diu retinuit: cum
 D. Hieronymus eam suo tempore prisco nomine
 Paneadem rursus appellatam scribat. Quod etiam
 nomen apud Ptolomæum & alios Scriptores inven-
 nitur. Ita enim illud nomen usitatum fuit, ut etiam
 adjacens regio inde Paneas fuerit cognominata.
 Sita igitur fuit hæc civitas in confinio gentium &
 Judæorum, atque promiscue habitata, tam à Syris,
 quam à Judæis. Et in hoc confinio voluit Christus
 sonare confessionem Petri, quam ipse nomine re-
 liquorum Apostolorum edidit, ut innueret Eccle-
 siam veram esse ædificandam in medio Judæorum
 & gentium. Etsi enim ipse fuit minister circumci-
 sionis propter veritatem Dei, ad confirmandas
 promissiones patrum, *Rom. 15. v. 8.* subinde tamen
 prætulit gentium vocationi, quasi gestiens se ipsis
 quoque offerre, ut apud quas firmiorem sedem
 quam apud contumaces Judæos esset inventurus.
 Ipse enim est, qui utraque fecit unum, medium pa-
 rietem maceræ solvens, *Ephes. 2. v. 14.* Christus
 autem urbem ipsam ingredi noluit. Sed factum
 hoc est, cum venisset in partes, seu ut Marcus ex-
 primit, *εις κώμας, in vicis urbis*, LXX enim in-
 terpres vocabulum כּוּמָא, quod Latini inter-
 pretati sunt filias, reddiderunt *κώμας*. *2. Par. 13.*
vers. 19. *2. Par. 28. v. 18.* & alibi. Significant autem
κώμας villas vel pagos, qui ex metropoli seu Co-
 loniæ sunt deducti & exstructi. Et ut filia ad
 matrem pertinent, ita tales villæ ad urbem. Sic
 die Dörffer / die zu einem Ampte gehören. Et hæc
 Circumstantia loci diligenter est notanda. Quis
 enim putabit casu vel temere factum esse,
 quod Christus in illo confinio potius, quam
 alibi examen fidei Apostolorum instituit?
 At

At verò quia Pontificii Ecclesiæ successionem perpetuam certo loco alligatam esse volunt, dicant hic nobis, quid causæ sit, quod Romæ illam potius, quam Cæsariæ, ubi Apostolica hæc confessio sonuit, & suam commendationem à Christo accipit, constituent? Dicant inquam, causam, quare petra hæc, super quam Ecclesia est fundata, in monte Tarpejo potius, quam Cæsariæ sit quarenda. Scio, nihil solidi habituri sunt, quod respondeant: quia Ecclesia Christi in novo Testamento nulli certo loco alligata, sed inter Judæos & gentes extructa est. Ibi ergo eam quæramus, ubi confessio Petri sonat.

II. Servator in via considerans malitiam Pharisæorum & Sadducæorum, qua ipsum ex Judæa expulerant: vulgi item vana iudicia, quod licet magnificè de ipso sentiret, à vero tamen aberrabat: discipulorum denique imbecillitatem, qua laborabant, sese convertit ad preces. Quibus absque que dubio à Patre serio contendit, ut ex vulgo quidem eos, qui adhuc sanabiles essent, ab erroribus liberaret, his vero fidei lumen adaugeret. Hoc modo exemplum nobis præbens, ut res graviore, maxime autem Ecclesiæ vel religionis negotia tractaturi, ea à precibus auspicemur.

Mox peractis precibus instituit examen inter discipulos de fide ipsorum & futura ejus prædicatione inter Judæos & gentes, inquirens: *Quem me dicunt homines, turba, esse filium illum hominis?* Origenes dicit: Nos semper scrutari debere, qualis sit opinio hominum de nobis: ut si quid mali de nobis dicitur, occasiones ejus præcidamus: sin quid boni audiamus, ejus occasiones augeamus. Et rectè quidem illud cæteris hominibus, imprimis autem illis, qui alii præsumunt, dicitur. Ut nimirum verbi ministri, principes item viri, etiam mutato habitu interdum plebejis conversentur, & horum de se iudicia audiant, quo cognoscant, quid in se ipsis & ministris corrigere debeant. *φιλαυτίας* enim vitium omnibus inhaeret, ut nisi ex aliis vitiis nostra audiamus, non facillè illa deponamus. Hoc modo Apelles operam dedit, ut ex vulgi iudiciis intelligeret, nunquid vitii suis picturis inesset. At Christus hoc sine inquisitionem illam non instituit. Neque enim ipse testimonium accipiebat ab homine. Joan. 5. v. 34. Ad hæc, non opus ei erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine. Joan. 2. v. ult. Sed hoc omne fecit in eum finem, ut remotis erroribus & scandalis, quæ ex diversis hominum de ipso sententiis nascebantur, discipulos in veram & certam fide confirmaret, ne & ipsi incertis opinionibus se abripi paterentur. Idem adhuc hominibus facit: ut si quando Articulus ad salutem necessarius vel desidia Pastorum obscuratur, vel contentione absurderum hominum contorqueatur, tum occasionem præbet quæstionibus & disputationibus, quo diligenti ventilatione Scripturarum dubia tollantur, & veritas in apricum proferatur. Interrogat autem, non quid Pharisæi vel Scribæ de ipso sentirent. Horum enim invidia, livor & odium jam erant nota, ut Apostoli ipsorum iudicia merito non admitterent. Invidia enim excæcati, Christum modo Samaritanum, modo vini potorem, modo publicanorum amicum, modo peccatorum & excommunicatorum

Harm. Tom. I.

patronum esse, modo dæmonio agitari, dicebant. Hos igitur tanquam cæcos & duces cæcorum vitandos esse, dudum docuit. Sed interrogat, quid homines, seu, ut Lucas eos nuncupat, turba, quæ passim eum sequebantur, & honestius de ipso iudicabant, sentirent. Sibi autem ipsi tribuit Epitheton *filii hominis*, quod usitato scripturæ typo vulgarem hominem denotat: & Prophetæ Ezechielis quasi proprium nomen fuit, quo Deus eum humilitatis admonere voluit, ne sese efferret ob donum prophetiæ & cælestes visiones, utque sibi diffusus, totus potentia & gratia ejus, qui eum ad Propheticum munus vocarat, niteretur. Dan. 8. v. 17. Danieli ex regio stemmate oriundo, eadem de causa hoc nomen attribuitur. Alias autem, ut Psalm. 8. v. 5. item Dan. 7. v. 13. & 10. v. 6. tribuitur venturo Messia. Paulus enim illud hoc modo exponit, Eph. 1. v. 2. & Hebr. 2. v. 6. Examen ergo fidei Christus ita instituit, quod non tantum querit, quid ipsi sentiant: sed prius explorat, quam varia sint aliorum iudicia, & quam diversæ sententiæ vulgi de fide. Et hæc ratio examinis hæc potissimum monet. 1. Opus esse, ut fides ita conformetur, ut non tantum quis pro se rectè sentiat: sed etiam se jungat se ab omnibus aliis opinionibus à vera fide discrepantibus. 2. Fidem non debere perturbari, propter exorientes varias hominum opiniones, & diversa vulgi iudicia. Semper enim in Ecclesia fuerunt dissensiones, & futuræ sunt ad novissimum usque diem. Quia sic manifesti fiunt probati, 1. Cor. 11. v. 19. Et hoc facit ad fidei commendationem, quando illa, sepositis omnium hominum opinionibus, uni & soli Dei verbo revelato ac scripto firmiter inhaeret. 3. Etiam eos, qui bonam intentionem habent (ut vulgo loquuntur) in fide errare posse, si fundamentum non teneant. Illi enim, de quibus Christus & Apostoli hoc loco loquuntur, non fuerunt Christi hostes, non pro seductore vel seditione (ut Pharisæi) ipsum habuerunt, sed admodum honorificè de Christo sentire voluerunt: & tamen errarunt.

III. Apostoli ingenue & libere respondent: quod nimirum illæ sententiæ passim in vulgus emanarint, de quibus supra cap. 57. hujus Harmoniæ audivimus, quod in aula Regis Herodis ventilata fuerint. Nimirum quod alii eum *Joannem Baptistam*, alii *Heliam*, alii *Jeremiam* esse iudicarent. Ex quo videmus, homines potissimum dupliciter errare circa agnitionem Christi. Vel enim errant de persona ejus, quod putant, aliquem ex antiquis Prophetis rediisse: hoc est, statuunt quidem ipsum esse hominem sanctum à DEO missum, ad eximium officium segregatum & deputatum: purum tamen & nudum putant esse hominem. In hunc scopulum antiquitus impegerunt Ebion, Cerinthus, Samosatenus, Photinus, Aetius, Eumonius, Arius, Mahomet, nostra atate Servetus, & multi alii, qui divinitatem Christi negarunt, & adhuc negant. Vel errant de officio ipsius, putant eum esse vel *Heliam*: quia is gladio interfecit Baalitas & Pseudopphetas, 1. Reg. 18. v. 40 vel *Jeremiam*: quia Deus ei dixit: Ecce, constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas & disperdas, & dissipes. Sic Judæi olim existimarunt Messiam mundanum regnum

Iiii

gnum

gnum institutum, & Romanos ex Palæstina ejectum. Hodie Pontifex Romanus consimiliter ex Christi regno sive Ecclesia, facit politiam mundanam, in qua ipse tanquam Rex regum præsidet: Cardinales autem, Episcopi, Suffraganei, & reliqui de Clero rasi unctique sacerdotes, tam cucullati, quam excucullati, instar Electorum, Principum, Comitum & Nobilium longè lateque inter Christianos dominantur, & tantum non politicam jurisdictionem exercent.

Sed operæ pretium est simul attendere, unde hæc erroneæ sententiæ apud Judæos proveniant. Nam ex iisdem fontibus etiamnum hodie hæreses & sectæ in Ecclesiam Christi promanare solent. Primus fons horum errorum fuit Philosophia malè diluta, quam suæ religioni impiè Judæi admiscuerunt. Post Alexandri enim tempora, ut gentibus, & præsertim Græcis, uterentur clementioribus, tum in aliis sese ipsis accommodarunt, tum gymnasiis Hierosolymis exstruxerunt, secundum leges nationum, 1. Maccab. 1. v. 15. In illo Philosophiam gentilium tractarunt, ex qua tum alios religionis suæ articulos, tum imprimis illum *ἡ ἐπιλυσις* de spirituali Regeneratione, ita corruperunt, ut vel Pythagoricam *μετεμύχωσησιν*, de qua supra cap. 75. copiosius, statuerint, vel crassam aliquam renascentiam sibi imaginati sint, qualem Nicodemus prodit Joan. 3. v. 4. Non immerito itaque Paulus omnes Christianos monet, Coloss. 2. v. 8. ut sibi caveant, ne decipiantur per Philosophiam & inanem fallaciam. Et Tertullianus libr. adversus Hermog. cap. 8. Philosophos vocat Patriarchas Hæreticorum. Quod ipsum tamen nemo sic accipiat, ac si Philosophiam insolidum rejiciamus. Hoc enim esset extinguere lumen rationis. Sed si Philosophia ancilletur Theologiæ: & si lumen rationis secundum lumen gratiæ sive verbi divini reguletur, tum acutius talem cernere statuo, non aliter, quam si quis hebetiorem visum usu perspicillorum acuat.

Alter fons est, quam Paulus Coloss. 2. v. 8. vocat *ἡ ἀρχαὶ τοῦ κόσμου*. Traditionem hominum. Habuerunt enim tum temporis Judæi non minus suas traditiones, quæ antiquitatis nomine venditabantur, quam hodie in Papatu traditiones Apostolicæ habentur, quibus multi seducuntur. Inter alios habuerunt quendam Josephum nomine, filium Gorionis, qui Hebraicè historiam Judaicarum rerum descripsit à tempore captivitatis Babylonicæ ad Pilatum usque. Is ponit in lib. 1. cap. 18. Jeremiam, cum arcam templi abscondisset (de quo 2. Maccab. 2. v. 5. scribitur) dixisse: non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero, Ego & Helias Propheta famulus Domini: tunc restituemus arcam in locum suum intra sancta sanctorum. Quisque igitur apud se probè expendat, quid Traditionibus extra scripturam tribuendum sit. Tertius fons horum errorum fuit verbum Dei non dextrè susceptum, & explicatum. Quia enim Deus per Malachiam cap. 4. v. 5. dixit: Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, idè ipsi illud de persona Helias intellexerunt, quasi is ex paradiso rediturus esset: cum tamen illud, angelo teste, Lucæ 1. v. 17. intelligendum sit de ejusmodi persona, quæ Messiam in Spiritu & virtute Eliæ præcessura esset. Hanc per-

versam interpretationem adauxit illud, quod 2. Paralip. 21. v. 12. scribitur, allatas esse literas ab Elia Propheta ad regem Joram, in quibus ipsum prehenderit ob idolomaniam. Atqui Helias aliquot annis ante in cælum translatus fuerat, quam Joram regnare inciperet. Finxerunt ergò Heliam illam epistolam ex paradiso misisse: & sic ultro citroque commeandi facultatem ipsi datam esse, statuerunt. Quasi verò non aut alius hic Helias à Thesbite fuerit: aut is ipse Thesbite ex prophético spiritu illas literas, dum adhuc in terris versaretur, scribere & post se relinquere poterit, quæ postea demum ad Joram allatae fuerint. Non frustra ergò Paulus Rom. 12. v. 6. monet, ut Prophetia, sive interpretatio Scripturæ, analoga sit fidei. Nec parum interest, ut probatos habeamus & fidos Scripturarum interpretes. Neque enim omnes sunt Theologi, qui sacerdotali veste induti sunt, & paucula quædam ex Scriptura adferre possunt: sed necesse est, ut quis sit *δυνατός ἐν τοῖς γραφαῖς*, potens in Scripturis, Act. 18. v. 24. qui totum corpus doctrinæ cœlestis animo complectatur, illudque dextrè ad gloriam Dei & hominum edificationem accommodare possit. Quia igitur purum verbum habemus, non stamus securi nec delides, quasi Deus illud nobis servare cogatur, qualitercunque illud tractemus. Sed studeamus & oremus, ut Deus sanum ejus intellectum nobis largiatur. Cum enim Scriptura non sit private interpretationis, 2. Petr. 1. v. 20. multo labore genuinus ejus sensus est scrutandus & inquirendus. Hosce ergò fontes errorum probè notemus. Nam etiamnum hodie plurimum erroneæ sententiæ, partim ex Philosophia malè diluta, partim ex Traditionum persuasione, partim ex falsa Scripturarum interpretatione profluit.

IV. Caterum, Christus hac Apostolorum responsione, qua aliorum saltem sententias retulerunt, noluit esse contentus. Neque enim in causa fidei aliorum saltem sententia stare debemus. Sed justus fide sua vivet, Habac. 2. v. 5. Et unusquisque in animo vel sensu suo *ἀναρροφείσθω*, planè certus esse debet, Rom. 14. v. 5. Idè mox addit: *quem verò vos me esse dicitis?* Hic particula *vos* emphaticè posita est, qua eos à turbis segregat. *Vos*, qui tamdiu mecum fuistis: qui miracula mea vidistis: qui doctrinam meam indefinenter audistis: quem *me*, qui reliquis vilescio ob humilem meam speciem, *esse dicitis?* Hic verò Petrus reliquorum suorum collegarum nomine prodit, & insignem edit confessionem. Ubi diligenter observandum est, quæ sint capita ejus confessionis. Hæc enim est vere Apostolica & Catholica fides, cui ipse Dei filius hoc loco beatitudinem tribuit. Et quia Johan. 17. v. 3. Christus inquit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant, te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Et Jesaiæ 53. v. 11. pater dicit: Servus meus justus cognitione sui iustificabit multos. Idè videre licet, quod Apostolica confessio utrumque articulum comprehendat, & articulum Trinitatis, & articulum agnitionis Christi. Articulus Trinitatis hoc modo positus est in hac confessione: ut primo nominetur *Deus vivens*, qui est Deus Pater, solus verus Deus, qui & in semetipso vitam habet, & idem solus omnia vivificat. Dum Diu gentilium vel inanimata idola sunt,

sunt, hominum manibus facta, vel homines jam demortui. Deinde nominatur *filius Dei*, & ut non adoptivus (quales nos sumus) sed naturalis filius intelligatur, qui Patri ab aeterno est consubstantialis & ipse quoque vitam in se habet, eandemque omnibus in se credentibus de suo confert, Joan. 5. v. 29. adduntur in Græco textu singulis dictionibus articuli, quod non otiose, sed emphasæ causa factum est, ut sic à reliquis hominib. omnib. distingueretur. *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ὄντος*. Denique quia Jesus est Christus, hoc est, unctus. Non autem est unctus oleo vel sacerdotali, Exod. 30. v. 23. vel Regio, 1. Reg. 3. v. 39. sed Spiritu sancto, Psal. 45. v. 8. Luc. 4. v. 18. Jesa. 61. v. 1. Ideo Spiritus sancti persona hic disertè quoque innuitur. Atque sic omnes tres personas distinctè in hac confessione positas habemus. Quæ est una pars fidei Apostolica, quæ per omnia convenit cum veteri Patriarchali fide, prout illud in expositione 48. c. Gen. commonstravimus.

Articulus autem cognitionis Christi, duo capitula habet in hac confessione. Unum de persona, alterum de officio. De persona confitetur eum esse verum Deum & verum hominem. Ideo Petrus dicit, *Τὴν*, quasi dicat, *ταύτην*, qui modo professus es, te esse *filium hominis*, ut & revera homo es, ex Maria virgine natus, nobis quoad humanam naturam per omnia *ὡμοιωσάμενος*, & propterea à multis despectus, adeoque novissimus virorum & vir dolorum, Jesa. 53. v. 3. Idem tamen simul es *filius Dei viventis*. Agnoscit ergo Petrus Jesum in una indivisa persona Deum & hominem. Quod caput confessionis Petrinæ D. Athanasius eleganter in suo symbolo his verbis reddidit. Dominus noster JESUS Christus Dei filius, & homo est. Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, &c. De officio confitetur, quod sit *Christus Domini*. Quæ appellatio complectitur omnia, quæ ad Sacerdotium, & ad regnum Christi pertinent. Sacerdotis officium peragat docendo, dum non tantum ipse, quamdiu in his terris vixit, Dei patris voluntatem nobis fideliter tradidit, sed etiamnum ministros Ecclesiæ suæ surrogat, per quos ea doceatur: sacrificando, dum semetipsum hostiam pro nostris peccatis fecit, cujus meritum durat in aeternum, ut in ipso peccatorum remissionem inveniant omnes, qui vera fide eum apprehendunt: orando, quia non tantum in diebus carnis suæ preces & supplicationes pro nobis cum valido clamore & lacrymis obtulit, Hebr. 5. v. 7. sed etiamnum sedens ad dexteram Patris intercedit pro nobis, Rom. 8. v. 34. benedicendo denique, quia ipse est benedictum semen, in quo benedicendæ omnes gentes terræ, in omni benedictione spirituali in cælestibus, Eph. 1. v. 3. Hæc ad officium Sacerdotale pertinent. Regem autem fortem & fidem se præstitit, dum in domum fortis illius, diaboli, ingressus, illum devicit, & suos ex ipsius tyrannide liberavit: in libertatem assertos tuetur, ne quis ipsos ex sua manu rapere possit: eosdem sceptro verbi sui regit, & quia verba vitæ aeterna habet, salutaris præceptis ad vitam instruit: olim etiam ad iudicium venturus, justitiam & iudicium administrabit omnibus, & unicuique retribuet in corpore suo, prout bonum vel malum fecerit, 2.

Cor. 5. v. 10. denique in regno gloriæ suæ omnium cælestium suorum bonorum thesauros inter ipsos distribuet: hæc ad officium regale pertinent.

Et hæc omnia complectitur brevis hæc confessio Apostolica, quæ si mediocri explicatione evolvantur, tunc rectius intelliguntur. Sed quia passim nunc prostant Didactici libelli, in quibus hæc omnia plenè & dextrè tractantur, sufficit hoc loco summa rerum fastigia attingisse & monstrasse.

Ulus tamen hujus confessionis, & ejusdem repetitionis etiam notetur. Primus sit *ἡ διδαχὴ*, ut hæc vestigia synceræ fidei à Petro in hac confessione monstrata studiose sequamur, & tueamur, contra Judæos, Turcas, Arianos, & alios phanaticos, qui hanc fidem vel nunquam susceperunt, vel dudum secessionem rursus ab ea fecerunt. Hæc enim est illa fides, quam ex Patris revelatione ortam esse Christus ipse testatur, quam Apostoli postea omnes tradiderunt, Martyres roborarunt, Conciliorum veterum canones stabiliverunt, & Christianorum Imperatorum leges Ecclesiæ commendarunt. Eandem in nostris & Ecclesiis & Scholis retineamus, auditoribus & in primis juventuti constanter proponamus, sic eos ad aeternam salutem adducemus. Secundus usus sit *ἡ ἐλεγκτικὸς*, ut non tantum rejiciamus, refutemus, & damnemus omnes hæreses cum hac confessione pugnantes, si ve illæ sint novæ sive veteres. Quales sunt Samaritanorum, Noetianorum, Patrispassianorum, Anti Trinitariorum, Tritheitarum, Servetii & aliorum, qui Trinitatis articulum impugnarunt. Item Arianorum, Apollinaris, Marcionitarum, Manichæorum, Nestorianorum, Eutylianorum & aliorum, qui in doctrina de persona Christi errarunt, & vel divinitatem vel humanitatem ejus negarunt, vel personam distaxerunt, vel naturas confuderunt: adeoque sonora voce nos ab ipsis omnibus sejungamus. Sed etiam re ipsa & facto convitiores nostros falsi convincamus. Cum enim hanc D. Petri fidem, quam is omnium discipulorum nomine confessus est, nos Evangelici fideliter custodiamus, & sancte retineamus, quæ hæc est *ἡ ἁγία* & malicia Jesuitarum, quod nos Hæreticorum nomine traducunt? Hæc certè unica & sola est vera Catholica fides, quam quia nos toto pectore amplectimur, utique etiam Catholici erimus. Tertius sit *ἡ παρακλητικὸς* & consolatorius adversus omnes tentationes, sive interiores sive exteriores. Interiores oriuntur ex sensu peccatorum, & gravant conscientiam. Ubi Diabolus gravioribus peccatoribus persuadere conatur, Deum nunquam fore ipsis propitium. Hisce tentationibus opponendum est Sacerdotium Christi, qui fidelis est pontifex, ut una die omnem iniquitatem terræ abstulit, Zachar. 3. v. 9. Non ergo peccemus. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris, 1. Johan. 2. v. 1. Hic etiam omnes laborantes & peccatis oneratos in Evangelio ad se vocat, dulcissimis verbis refocillationem promittens. Externæ tentationes ex cruce & variis tribulationibus, quales sunt, morbi, egestas, fames, persecutiones, bella, exilia & consimilia mala, quæ eos pusillanimes reddunt, nascuntur.

His opponamus Christum Regem cum sua omnipo-

mnipotencia : Siquidem ipsi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Ideo ipse morbis mederi, egenos ditare, suos in fame alere, bella sedare, omnia inimica depellere, & exsilibus in cœlesti patria firmas sedes attribuere potest, quas nulla adversaria potestas ipsis eripiet. Qui hæc meditatur, ille magno animo cum Asapho dicere potest : Modo te habeam, Domine JESU, protectorem & Regem, nihil mihi cum cœlo & terra. Deficiat sanè caro mea & cor meum : tu DEUS es petra cordis mei, & pars mea in æternum, Psalm. 73. v. 25. Quartus usus sit *περὸν ἑαυτοῦ*, Ut hanc fidem non modo ore & verbis profiteamur, sed etiam in tota vita omni observantiæ studio testemur. Antiquitus DEUS ipse & Sacerdotibus & Regibus summam auctoritatem circumdedit, ut qui obedientiam ipsis detrectarent, & mortis supplicio multarentur, Deut. 17. v. 12. & Roman. 13. v. 2. Quanto magis ergo huic Pontifici obsequium in verbo ipsius præstabitur? De quo Pater cœlius dixit : hunc audite, Matth. 17. v. 5. Et apud Moysen : Qui verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego ultor existam, Deut. 18. v. 19. Hic quoque rex ille Sionis est, de quo apud Prophetam : Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit : & gentes solitudine vastabuntur, Jes. 60. v. 12. Quid multis? Pater diligit hunc filium, & omnia dedit in manu ejus. Qui credit in filium, habet vitam æternam : qui autem *ἀπειθεῖ* non parerit filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum, Joan. 3. v. ult.

V. Præcipue autem considerandum est, quid ipse DEI filius de hac Apostolica confessione prædicet. Illa verò non sunt uniusmodi. Quædam enim pertinent ad privaram credentium salutem : ut quod inquit, *Beatus es*. Ostendens homines alias perditos, fide hujus confessionis salvari : & ejus fidei causam efficientem non esse *carne[m] & sanguinem*, hoc est, sapientiam & industriam humani ingenii, sed illuminationem *Patris* per Spiritum in ministerio. Quædam verò pertinent ad publicum ministerium. Ut cum inquit : *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quasi diceret : Hujus doctrinæ & fidei confessio, licet nunc videatur ignobilis & obscura, tamen erit ea fundamentum Ecclesiæ per totum terrarum orbem ædificandæ. Quæ Ecclesiæ, quia comprehendit Christum, tanquam annulus gemmam, contra omnes non mundi tantum & carnis, verum etiam inferorum portas consistet. Quia verò dixerat, *Pater meus revelavit* : Item, *Ego ædificabo* : Ne Enthusiastæ somniantent, sine medio aliquo ipsum hoc facturum, addit de ministerio Apostolorum & eorum successorum, quod suavissimis metaphoris ligandi & solvendi describit.

Hæc est summa magnifica illius commendationis, qua Christus Petri confessionem excepit. Quia tamen eadem universam quoque salutis & beatitudinis nostræ rationem continet, singula ejus membra diligentius sunt excutienda : maximè, quia locus hic plusquam aureus & gemmeus à Romanensibus miris modis fuit depravatus. Operam autem dabimus, ut quantum per DEI gratiam fieri potest, methodo perspicua & facili in illustrando hoc loco utamur.

Primum manifestum est, Christum hic in con-

finio Judæorum & gentilium constitutum, loqui de Ecclesiâ, quam propediem ex utroque populo colligere & Catholicam facere velit. Et hoc facit ad consolationem discipulorum, quorum, tanquam pusillus grex terreri poterant, potentia & multitudine suorum adversariorum, Pontificum, Sacerdotum, Scribarum, Phariseorum, Herodianorum, Sadducæorum. Confert autem in tota hac oratione Ecclesiam illam sive domo, sive civitati, idque utrumque secundum phrasas Scripturæ ac Prophetarum. Est enim Ecclesiâ domus Dei vivi, 1. Tim. 3. v. 15. Præfigurata per domum Domini, quam ædificavit rex Salomon, 1. Reg. 6. v. 1. De qua tam Esaias 2. v. 1. quam Micheas 4. v. 1. dixerunt : quod in novissimis diebus mons domus Domini sit futurus præparatus in vertice montium ; & elevatus super colles, ad quem starent omnes populi. Est quoque Ecclesiâ civitas DEI, de qua dicta sunt gloriola, Psalm. 87. v. 3. cuius fundamenta sunt in montibus sanctis. Hæc est civitas illa Domini, cujus fluminis impetus lætificat sanctas habitationes Altissimi, Psalm. 46. v. 5. Quam videntes Reges terræ admirati, conturbati & commoti sunt : sicut audivimus & vidimus in civitate Domini ædificatum, in civitate Dei nostri, Psalm. 48. v. 5. Hæc verò Ecclesiâ solius Christi est, qui propterea hic dicit *meam*. Ut occurrat ambitioni eorum, quos novissimis temporibus sibi dominium in Ecclesiâ usurpaturos non ignoravit. Certè maximum sacrilegium est, sibi imperium sumere in eam Ecclesiâ, quam Christus sanguinis sui pretio acquisivit.

Deinde verò hæc, sive civitas sive domus, non sponte sua existit, sed architecto indiget, à quo constituitur. Ille architectus est tota Trinitas, omnipotens Deus. Sic enim David in Psalm. 87. v. 5. Nunquid non dicitur de Sion, ipse altissimus fundavit eam? Huc Paulus respicit, 1. Cor. 3. v. 9. DEI ædificatio estis. Est enim ibidem se quoque architectum dicit, non tamen hoc alter intellectum vult, quam ratione ministerii. DEUS enim hominibus administris utitur in hoc spirituali ædificio perficiendo. Ne tamen hi quicquam suæ industriæ & dexteritati tribuant, Christus hic disertè dicit : *Pater meus revelavit*. Item : *Ego ædificabo*. De Spiritu autem sancto dicit Paulus : Transformamur à Domini Spiritu à claritate in claritatem, 2. Corinth. 3. vers. ult. Cum ergo tota Trinitas hujus domus architectus sit, gloriam hanc hominibus non cedit, nisi quatenus hi se *οὐδοῦν* & ministros profitentur. De his enim Paulus dicit, Ephes. 4. v. 11. quod opus ministerii perficiatur per Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi. In Veteri Testamento Sacerdotes Judæi quoque fuerunt architecti vel ædificantes : sed hi perverſi reprobarunt pretiosum lapidem, qui factus est in caput anguli, Psalm. 118. v. 22. Illis ergo rejectis Christus in Novo Testamento alios ædificantes vocavit, juxta Prophetiam Zachar. 6. v. 15. qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini.

Tertio videamus etiam fundamentum hujus domus sive civitatis. De eo dicit Christus : *super hanc petram*. Hic verò grandis oritur controversia

verba inter Nos & Romanenses, super eo, quoniam sit hæc *petra*. Romanenses strenue contendunt, per *petram* intelligendum esse Petrum: atque inde postea eliciunt primatum, non tantum Petri, sed etiam omnium Romanensium successorum, quem hæreditario jure à Petro obtinuerint. Quod nimirum virtute horum verborum Petrus constitutus sit Papa, qui Romæ viginti quinque annis sederit, qui suos successores sibi potestate pares fecerit: qui majestate sua non tantum Principes & Reges, sed etiam Imperatores & Cæsares superet: cujus voluntas & potestas sit libera & absoluta decernendi, faciendi & faciendi quicquid velit, non tantum secundum jus, sed etiam supra, extra, ultra & contra jus: adeo ut si innumerabiles populos carerentem una secum in gehennam in æternum vapulatos deducat, nemo tamen hujus culpas redarguere præsumat, nec quisquam ei dicere audeat, quid vel cur ita facis? Dist. 40. cap. Sis Papa. Et libr. 1. Decret. cap. 3. Nos verò hæc omnia *ἀποκρίσειν* negamus, & dicimus Petrum Romæ nec tam diu nec unquam ita sedisse, ut talem ac tam opulentam cathedram suis successoribus relinqueret: sed esse certissimum perditissimi Antichristi *σημειον* & signum, quod ipse se effert supra omnino quod dicitur DEUS (sicut DEORUM titulus magistratibus politicis tribuitur, Palm. 82. v. 1.) & sedet in templo Dei, ostentans se, quasi esset DEUS, qui haberet potestatem mandandi, etiam ipsis angelis in celo.

Cum ergo controversia hæc sit maximi momenti, accuratè inquirendum est, quid per *petram* hic sit intelligendum. Et in initio non nega-vero, si Patres inspicimus, ipsos *petram* diversimode interpretari. Multi inveniuntur, qui per *petram* Petrum intelligunt, quod is sit fundamentum Ecclesiæ: inter quos sunt Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Basilias, Ambrosius. Rursus sunt alii, non contemnendæ auctoritatis Patres, utpote Hilarias, Cyrillus, Chrysostronus, Theophylactus, imò etiam Ambrosius in Epist. ad Eph. cap. 2. qui per *petram*, non Petri personam, sed fidem ipsam, quam in Christum professus fuit, intelligere malunt, super quam sit ædificanda Ecclesiæ, ut contra omnes adversarias potestates firma consistere possit. Quid verò nos hic dicemus? Utram partem sequemur? Hic certi quid nos statuere oportet. Nam in Scripturæ explicatione non decet *ἐπιπορευεῖν*, fluctuare, vacillare, aut in utrunque latus claudicare, ut liberum sit, vel hoc vel alio modo eam intelligere, vel hunc vel illum sensum eligere, sed oportet animum in negotio religionis firma *ἀποκρίσειν* & fidei certitudine instructum & munitum esse, ut Scripturarum interpretatio non sit vaga, instabilis, ambigua, sed concinna, certa, constans. Dico igitur, cum ipse Apostolus Petrus nos moneat, in 2. Epist. cap. 1. vers. 20. prophetiam seu Scripturæ interpretationem non esse *ἰδίας ἑρμηνείας*, propria explicationis: ideo hic non attendendum esse, quid hic vel ille dicat, nec laborandum in variorum Patrum expositionibus conciliandis, & vel aliis probandis, vel improbandis aliis. Sed Scripturam cum Scripturis, rem cum re, causam cum causa conferendam, ut ita ex ipsius

Harm. Tom. I.

sacra Scriptura compage & *καταρτισμῶ* verum genuinum, geminum, & germanum hujus loci sensum eruamus.

Age igitur spiritualia spiritualibus comparantes, locos cum locis conferentes, juxta analogiam fidei hunc locum interpretemur. Fundamentum quærimus Ecclesiæ Christi. At D. Paulus interpres omni exceptione major, 1. Corinth. 3. v. 11. dicit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est: quod est Christus Jesus. Et rursus, Ephes. 2. v. 20. superædificati estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide JESU Christo. Cum Paulo consentit D. Petrus, quo nemo hunc Christi locum rectius intellexit, qui 1. Epist. c. 2. v. 6. ex 28. cap. Jesa. testatur, JESUM Christum esse vivum, summum, angularem, electum & præciosum illum lapidem, fundatum in Zion: in quem qui credit, non pudebit. In ore duorum horum testium, quorum ipsi etiam Patres discipuli fuerunt, consistat veritas hujus expositionis, maxime, quia cum ipso contextu consentit. Cum enim Christus dicat *δοκιμῶς*, se super hanc *petram* ædificaturam Ecclesiam, quam *petram* intelligemus aliam, præterquam Jesum, quem confessus fuerat & filium DEI & verum Messiam esse: qui antiquitus etiam *petra* populi DEI dictus est? Deuter. 32. v. 18. *Petram*, qua te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Psalm. 18. v. 3. Dominus *petra* mea, & refugium meum, & liberator meus. Psalm. 31. v. 3. Jehova esto mihi ut *petra* fortis, & ut domus munita, ut serves me. Hæc certa sunt & indubitata, ita ut eorum evidentiâ Augustinus motus, cum prius in Epistola quadam contra Donatum Episcopum Carthaginensem scripisset, quod in Petro, tanquam in *petra*, fundata sit Ecclesiæ: libr. tamen Retract. 1. cap. 2. restatur, se sapius sic exposuisse, ut super hanc ædificata intelligeretur, quem confessus esset Petrus dicens: Tu es filius DEI vivi: ac si Petrus ab hac *petra* appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc *petram* ædificatur, & accepit claves regni cælorum. Non enim dictum est illi: Tu es *petra*: sed tu es Petrus. *Petra* autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesiæ confitetur, dictus est Petrus. Et super Joan. Tractat. ult. sic scribit: Ecclesiæ fundata est super *petram*, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro, *petra*; sed Petrus à *petra*: Sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: Super hanc *petram* ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, *petram*, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. *Petra* erat CHRISTUS, supra quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est CHRISTUS JESUS. Hinc patet, Augustinum (ut nec reliquos Patres, Hilarium, Chrysostronum, Cyrillum, Ambrosium) nequaquam Petrum pro fundamento Ecclesiæ habuisse. Et quomodo Petrus sui ipsius fundamentum esse potuisset? cum ipse indigeret fundamento, nimirum Domino JESU Christo ipsi-

liii 3

sto ipsi-

sto ipsiusque invicto verbo, cui ipse fuit super-
structus.

Sed largiamur paulisper Pontificiis, Petrum ipsum, nimirum respectu personæ suæ, non respectu doctrinæ seu confessionis, esse fundamentum Ecclesiæ. Dicant ergo nobis propter Christum, quam firmum fuerit hoc Ecclesiæ fundamentum contra portas inferorum? Nam mox sequenti capite audiemus, quod hic idem Petrus, qui propter confessionem de Christo filio Dei viventis hic laudatur, mox propter immaturam suæ rationis sapientiam à Christo audierit: *Abi post me Satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ sunt hominum.* Quis autem dicit, Satanam Ecclesiæ fundamentum esse, nisi ipse Satanás? Ubi verò mansit Ecclesiæ fundamentum, quando in passione Dominica Petrus, arrepto gladio, contra verbum & voluntatem Christi, aperta vi impletionem Scripturarum impedire voluit? Aut, cum cœpit execrari seipsum & jurare, quod non nosset hominem? Aut, ubi etiam tum mansit, quando Paulus videns, quod multi non recto pede incederent ad veritatem Evangelii, dixit Petro coram omnibus: Si tu, cum sis Judæus, gentiliter agis, ac non Judaice, quare gentes cogis Judaizare? Galat. 2. v. 14. Denique quando Petrus senit, extenditque manus suas, & alius eum cinxit, ac duxit *quo non volebat*, Joan. 21. v. 18. quodnam tum fuit Ecclesiæ fundamentum? Num Petro suspensio & occiso, etiam Ecclesiæ fundamentum suspensum & excisum fuit? Desinant ergo Romanenses in hac tam clara Evangelii luce Petrum loco Christi pro fundamento Ecclesiæ venditare.

Sicut autem Petrus non est fundamentum Ecclesiæ, sic etiam nullum in ea habuit primatum: quem ipse etiam nunquam nec agnovit, nec sibi arrogavit, qualem Pontificii illi affingunt. Est enim reliqui Apostoli fere semper (ut & hic factum est) Petro, vel propter ætatem grandiores, vel propter rerum experientiam, vel propter animi magnitudinem & heroicum fervorem, hoc detulerunt, ut reliquos sermone præiret, vel referendo, vel monendo, vel hortando. Fuit tamen illa eminentia potius ordinis, quam potestatis, principatus vel domini, quod nunquam sibi in reliquos sumisit. Percurrat quis totam Actorum Apostolicorum historiam, & conquirat, quicquid usquam de munere potestateque Petri exstat: nihil aliud reperiet, quam ipsum fuisse unum ex numero duodecim, parem reliquis, Collegam & socium, non Dominum, Actor. 2. v. 14. Extollit quidem in die pentecostes vocem suam, & habet concionem, sed adstant illi ad latus reliqui undecim. Actor. 4. v. 8. dicit causam in Synedrion Hierosolymitano, sede eandem una cum Joanne perorat. Actor. 8. v. 14. iussus à Collegis ire Samariam, non detrectat, sed parat, & commissæ legationis munus fideliter exsequitur. Cum Actor. 11. v. 4. accusaretur, quod ad gentes ingressus fuisset, licet præter culpam argueretur, responderet tamen, & sese purgat. Non allegat capitulum, si Papa, &c. Actor. 15. v. 7. ipse quidem admonet in Concilio, quid factum opus sit: sed alios etiam audit: & non tantum locum concedit dicendæ sententiæ, sed arbitrium illis permittit:

ubi statuerunt, sequitur & obtemperat. Cum ad Pastores seu Presbyteros scribit, 1. Petr. 5. v. 1. non mandat ex imperio, tanquam superior: sed collegas suos & compresbyteros facit, atque comiter hortatur, ut inter æquales fieri solet. Ex quibus omnibus palam sit, aut *ισοτιμίας* & æqualitatem fuisse, inter Petrum & reliquos Apostolos: aut certè nihilo plus potestatis fuisse Petro in reliquos, quam ipsi in illum habuerunt. Desinant ergo Papæ Romani suam allegare Superioritatem & Primatum, quem habeant hæreditario jure à Petro propter Successionem: cum hæc ipsa successio ad eò incerta sit, ut nihil supra. Est enim ego negare nolim, Petrum Romæ crucifixum esse, cum id vetustissimi Scriptores unanimi fere consensu testentur: tamen eum Episcopum ibi fuisse, & juxta Eusebii relationem viginti quinque annis ibi sedisse, illud Jesuitæ idoneis rationibus, ex Scriptura & probatis auctoribus petitis, nunquam nobis probabunt. Etenim ex primo & secundo capite ad Galatas constat, Petrum circiter viginti annos à morte Christi fuisse Hierosolymis. Inde venit Antiochiam. Ibidem quamdiu fuerit, incertum est. Atquæ à morte Christi usque ad finem imperii Neronis, sub quo Petrus martyrio coronatus scribitur, reperiuntur tantum triginta septem anni. Ab his viginti detrahas, quibus, Petrum Hierosolymis habitasse Paulus testatur, non remanebunt tot anni sessionis in Roma, quot Romanenses ponunt. Quid dicemus de eo quod Paulus scribit. 2. Tim. 4. v. 14. In prima meâ defensione (quæ sub Nerone facta est, quando & morte fidem suam testatus occubuit) nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Ubi tunc Petrus, si Romanus fuit Episcopus? Num dicemus illum, qui olim abnegator fuit Christi, sic tum fuisse desertorem Pauli? Absit, ut hoc de ipso cogitemus, qui conversus confirmavit fratres suos, Lucæ 22. v. 32. Tamen hinc elicitur, eum tum sedem Romanam non tenuisse: quomodo ergo Romanenses tam audacter de sede illa & suorum Successione in ea gloriari possunt? Sed esto: successerit Gregorius XIV. (& reliqui Pontifices Romani) Petro, quid inde evincit? Num propterea successit eidem in pietate & officio? Num prædicat Evangelium omni creaturæ? Num hominum piscator est, an verò pecuniæ? Num est sal terræ? Num lux mundi? Num gregem pascit, non seipsum? Num in clerum & populum Domini dominium non exercet? Num lucrum turpè non affectat? Num exemplar est gregis? Num aliis potius ministrare, quam sibi ministrari cupit? Num omnes Episcopos & presbyteros socios & sympresbyteros suos esse putat? Num subiectus est regi tanquam præcellenti? Num Principibus tanquam à Deo & rege missis? Num fraternitatem diligit, Deum timet, Regem honorat? Num hoc facit? an verò his omnibus contraria facit? Ergo Petri successor est, ut Herodes Davidis: ut Caiphas Aaronis: ut idolum abominationis, quod stetit in templo, areæ: ut *κύριος ἁπάντων* ille, in templo sedens Dei. Sicut Petri successor esse, audiat memorabilem Bernhardi vocem ad Eugenium: Verus successor Pauli dicet cum Paulo: Non quod dominemur fidei
veltra,

vestra, sed adjuutores sumus gaudii. Petri hæres audiat Petrum dicentem: neque ut dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Superabundanter itaque demonstratum est, Petrum non esse fundamentum Ecclesiæ, multo minus illos, qui successione ejus gloriantur: sed CHRISTUM.

Quartò considerandum etiam, quinam super hoc fundamentum superstruantur. Hoc Christus indicat, dum inquit: *Tu es Petrus*. Revocat ei in mentem, quod ipsi Johan. 1. v. 42. sub initium suæ vocationis dixerat, Tu vocaberis Cephias, quod declaratur Petrus. Nunc ergo cognomen illud ipsi confirmat, occasione ex eo arrepta, quod ipsum, qui spiritualis est petra, cui Ecclesiæ ceu solido & inconcusso fundamento innititur, tam liberè confessus erat. Quasi Christus diceret: quia tu speris & abjectis aliorum sententiis, credis me esse æternum & unigenitum Dei filium, & promissum generis humani Messiam, qui caput sim & fundamentum Ecclesiæ veræ, ex quo omnis salus promanet: Ego vicissim te propter constantem hanc fidem & intrepidam ejus confessionem pro tali agnosco, & talem declaro, qui in spirituali hac mea domo sive Ecclesiæ lapis vivus & solidus esse debeas, fundamento huic superstructus ad nominis mei gloriam, & multorum aliorum ædificationem. Quod D. Petrus ipse hoc dictum Christi ita & non aliter intellexerit atque ad alios accommodarit, id testatur 1. Epist. cap. 2. v. 3. cum ita scribit: siquidem gustatis, quod benignus sit Dominus. Ad quem accedentes, qui lapis est vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud DEUM verò electus & pretiosus. Ipsi quoque veluti vivi lapides ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias Deo per JESUM Christum. Docet nimirum hic Petrus, verbi ministerium à Christo in hunc finem esse institutum, ut ejus doctrina homines ad Christum, ceu solidum & unicum fundamentum Ecclesiæ, adducantur ad lapidem angularem verum & vivificum: quo & ipsi fiant lapides vivificati, sicque tandem conjuncti fiant spirituale templum Deo. Alludit enim ad typicum & lapideum illud templum Judæorum, ac si diceret: illud templum non tam fuit verum habitaculum DEI, quam typus habitaculi templique spiritualis. Sicut autem illic fuit lapideum fundamentum omnia sustinens, fuerunt etiam lapides adjuncti & superstructi, & denique etiam sacerdotium DEO serviens: ita & in hoc spirituali templo, est fundamentum, lapis angularis omnia sustinens, JESUS Christus, cui vos superstructi estis, ut sitis tum templum, tum sacerdotium DEO serviens. Qui autem vult hoc modo vivus fieri lapis hujus spiritualis domus, eum oportet ad Christum *προσπελασσει* accedere vel venire, ut Petrus loquitur: hoc est, debet eum agnoscere, in eum credere, intrepidè confiteri, sicut modo Petrus fecerat. Sic enim fiet ipsius membrum. Christus ergò dicitur lapis vivus, aut petra viva, non tantum passivè, quod in se vitam habeat, sed etiam activè, quia nos mortuos vivificat, idque tum spiritualiter justificando, regenerando, & vitam æternam donando, tum corporaliter in hac vita creando, & olim nos ad æternam vitam resuscitando. Petrus autem & fideles

Harm. Tom. I.

omnes etiam dicuntur lapides vivi, non tantum ad discrimen materialium lapidum templi Judaici, sed præcipue, quia vivificantur à Christo, vero illo omnis vitæ fonte.

Si quis autem quærat: Num vero nil honoris vel prærogativæ Petro accessisse putabis ex eo, quod Christus ipsi dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam*? Ei respondeo, omnino multum accessit. Nam ob hanc fidei alacritatem & confessionis constantiam, Christus ipsi tribuit honorem primarii lapidis, & præcipui membri Ecclesiæ, qui sanè honor non est contemnendus. Sed quod talem primatum ei tribuerit, qui complectatur Jurisdictionem in omnes, qualem Romani Pontificis assertores ipsi tribuunt: id verò fabulosum est. Aliud autem est ordinis causa inter æquales primum esse: & aliud ratione dominii & potestatis supra reliquos eminerè. Illud Petrum obtinuisse non negamus: hoc Pontifices Romani contra Scripturæ auctoritatem sibi ipsi arrogare affirmamus. Quando ergò de primatu Pontificis Romani hodie disputatur, tum talis eminentia intelligitur, qua ipse habeat universalem potestatem imperandi omnibus, etiam Regibus & Cesaribus: De quali primatu nec Apostolis, nec Patribus quicquam constitit. Quando autem de primatu Petri agitur, nihil aliud per eum intelligitur, quam ipsum primarium lapidem fuisse in spirituali hoc ædificio Ecclesiastico, qui sua doctrina & exemplo alios etiam super hoc fundamentum (cujus honor soli Christo manet) ædificavit. Et in hoc habemus sanctos Patres idem nobiscum sentientes. Divus Gregorius Magnus, cum Johannes Patriarcha Constantinopolitanus Jurisdictionem suam super omnes Ecclesias extendere vellet, sic ad ipsum scripsit. Epistol. libr. 4. cap. 82. Certè Petrus Apostolus primum membrum (nota hoc pie lector, *primum membrum*) sanctæ & universalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud quam singularium plebium sunt capita? Et tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Et ut cuncta brevi cingulo locutionis adstringam: sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se unquam universalem (qui nimirum Jurisdictionem teneret in omnes) vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat, quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumsit, qui veraciter sanctus fuit. Et Divus Cyprianus de simpli. Prælatorum ita scribit: Hoc erant utique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Hic certè Cyprianus disertè testatur, Petrum cum reliquis Apostolis ejusdem auctoritatis fuisse: Ergò si quid præ aliis gessit, id non fecit tanquam reliquorum Dominus, aut imperium in ipsos tenens, sed ordinis causa: denique id fecit non suo, sed ipsorum nomine, tanquam ab ipsis jussus vel rogatus. Sed esto: sit Petrus hisce verbis reliquis Apostolis per Christum & eminentia & dignitate & potestate prælatus: quid tamen hoc facit ad primatum Pontificis Romani? O lepidam argumentationem:

liiii 4

nem:

nem : Petrus fuit Princeps duodecim Apostolorum : Ergo Pontifex Romanus tenet jurisdictionem in universam Ecclesiam Christi. Illud fuit possibile. Hoc ne ipsi quidem Petro possibile est. Et si maximè possibile esset : unde tamen & quomodo hæc dignitas, quæ uni Petro dicta est, sine determinatione aliorum, transit ad Pontifices Romanos? Ubi est ejus fundatio? Ubi privilegium concessum? Atqui clamitant, Cathedra Petri fuit Romæ. Ergo & successio & dignitas. Respon. Non Cathedra facit successionem, sed doctrina. Sedebant etiam Pharisei & Scribæ super Cathedram Moysis & Aaronis, & erant in ordinaria successione : nihilominus tamen Christus hinc eos rejicit, & Apostolos suos, piscatores & idiotas in vivos lapides spiritualis sui templi & veræ Ecclesiæ assumit. Quid ergo juvat Pontificem Romanum, si maximè super cathedram Petri se deat, nisi etiam ejus doctrinam servet? Quis unquam in Scripturis vel Patribus legit, quod ille sit optimus Petri successor, qui reliquos presbyteros omnes, imò ipsos Principes & Reges opibus, superbia, luxu superet? Quis etiam credat, Petri successorem esse eum, qui malit veteres Romanorum Imperatores magnificentia, quam D. Petrum laboribus & passionibus imitari? Petrus magistratibus fuit obediens, & pro Christi nomine mortuus est. Pontifex autem Romanus contra Christi verbum etiam magistratibus imperat, ac dominatur. Apage ergo cum illa tua successione.

Quinto considerandum, quid vivis hæc lapidibus seu fidelibus accedat, si sese ministerio verbi & Sacramentorum super hoc fundamentum Ecclesiæ Christum Jesum superstrui patiantur. Illud Christus hic disertis verbis indicat. Si enim Petrus, quæ Augustini est sententia, ut in superioribus audivimus, in hac actione Ecclesiæ personam figuravit : utique quæ Christus de Petro dixit, ad singula vera Ecclesiæ membra erunt referenda. Dicit autem : *Beatus es, Simon Bar Jonæ*. Non frustra tum prænomen, tum patris nomen, quod fuit Joanna, sive per contractionem *Jonæ*, adducit. Sic enim beatitudinem, quæ ipsi accessit, per antithesin illustrat. Quasi diceret : Hactenus, dum simpliciter fuisti carnalis filius Jonæ, simpliciter fuisti *Simon* & hominis filius. Nunc autem, postquam meus factus es discipulus, & apud me eam didicisti fidem, quam neque à carne & sanguine, neque à quoquam hominum discere potuisses, & per eam fidem ædificatus es super petram in vivum lapidem, non tantum diceris *Petrus*, verum etiam eris *beatus*, particeps futuræ æternæ salutis, ad quam nemo pervenire potest, nisi & ipse eadem fide, super hanc petram ædificatus fuerit. Perinde ergo est, ac si rex quispian homini plebejo, in regiam suam aulam adscito, & in singulari gratia posito, dicat : O te felicem : Es tu quidem rustici hujus vel illius filius, sed quoniam regis meæ familiæ adscriptus es, egoque singulari favore te prosequor, posthac regni Cancellarius vel Marschallus eris. Sic certè proprii nominis & plebeji parentis commemoratio felicitatem ejusmodi hominis apertius indicaret. Eodem ergo modo, quo hic Petro, cui vis Christiano in novissimo die à Christo diceretur.

Verbi gratia : Tu Polycarpe, natura quidem es *hæi* id est, filius Caspari, sed quia per ministerium factus es *Petrus*, seu vivus lapis Ecclesiæ meæ, & ingenuè ac intrepidè nomen meum coram hominibus confessus es, jam eris *beatus*, ego quoque tuum nomen coram Patre meo cælesti confitebor. Sic ergo vera Ecclesiæ membra vere sunt beata. Atque hæc ratio verum est illud dictum : Extra Ecclesiam non est salus. Nisi enim quis tanquam vivus lapis ædificio huic Ecclesiastico inseratur, nunquam veram beatitudinem consequi poterit.

Addit Christus ad confirmationem certitudinis hujus felicitatis, Ecclesiam contra potentiam Satanae invictam futuram, quia Christus, quem apprehendit, & cui superstructa est, inconcussus stat. *Et portæ inferorum non prævalent adversus eam*. Potest hoc intelligi, & de toto corpore Ecclesiæ, & de singulis membris : quod nimirum etiam illi, qui semel vera fide Christum apprehenderunt, ad finem usque sint perseveraturi. Significat ergo Christus, Ecclesiæ statum non fore quietum, sed insultibus Satanae expositum. Et quemadmodum suam Ecclesiam domo vel civitati contulit, in qua ipse, quem Petrus confessus fuerat, tanquam Rex & Sacerdos esset dominaturus : ita nunc Satanae regnum contraria civitati confert, in qua Diabolus sit regnaturus. Et quia olim in portis suas munitiones habebant, atque judicia exercebant, ideo CHRISTUS per *portas inferni* Satanae consilia & potentiam intelligit, quibus Ecclesiæ & veram fidem in illa sit oppugnaturus. Id quod fecit modo per hæreticorum falsa dogmata, modo per tyrannorum persecutiones, modo per blandimenta voluptatum & amorem rerum hujus seculi. Sed Christus testatur, Satanae cum omnibus suis armis atque machinis non prævaliturum. *καταγω* est vocabulum bellicum, & sumitur de hostibus, quando inter se luctantur, ac dimicant tamdiu, donec una pars sit superior. In Veteri Testamento interdum respondet verbo *קרב* quod significat, invadit, prævalidus vel etiam obstinatus fuit. Exod. 7. v. 13. accipitur de obfirmatione & induratione cordis Pharaonis. Interdum autem, & quidem sæpius, respondet verbo *גבר* superavit, prædominatus est alii fortitudine, potentia & auctoritate superior fuit. Sicut Exod. 17. v. 11. Quando Moyses attollebat manus, *καταγω*, superabat Israel : & quando demittebat manus, *καταγω*, prævalebat Amalec. Certaminibus ergo assuefiant veri Christiani. Nam quamprimum Servator noster Jesus Christus in suo cœtu examen instituit de sua persona atque officio, & curat, ut vera de se fides tradatur, prædicetur ac sonet : Protinus Satanas, princeps tenebrarum, in suo regno etiam classicum canit, in suis membris expedit omne armorum genus, & partim aperta vi, partim calumniis atque obrectationibus veritatem illius confessionis oppugnat. Quia enim ipse jam olim ad sempiternos infernalium tormentorum cruciatus damnatus est, & jam sub caligine æternis vinculis asservatus ad judicium magni diei, Epistol. Judæ vers. 6. ideo semper in hoc unice intentus est, ut plurimos exitii atque pœnæ suæ socios habeat. Hinc exortitur pugna

pugna. Pii & electi fidem, quam ex Dei verbo didicerunt, tuentur, profitentur, & propagare student. Impii à Diabolo exagitati, eam mendacis & calumniis oppugnant. Et licet interdum veritatis lux sic sese in oculis eorum ingerat, ut DEI manum & cœlestem *œgyptum* sentiant: tamen cum Pharaone, cor obfirmant, & non tantum proditoria consilia proferunt, sed ne à cadibus quidem & innocentis sanguinis effusione abstinent. Hujus Christi hoc in loco suos admonet. Et hujus sententiæ eventum rerum experientia nobis hincce postremis mundi temporibus ipso facto commonstravit. Quam primum enim superiori seculo singulari DEI beneficio Martinus Lutherus hanc Petri confessionem, altissimis Papatus tenebris oppressam, ex verbo DEI rursus in apricum protulit, & pluribus scriptis cum Collegis suis collustravit: protinus Satanas pugnam læcessit, & ex una parte per Pontificios doctrinam de officio, ex altera parte per Calvinianos doctrinam de persona Christi oppugnavit. Duratque hæc pugnam ultra octoginta annos: Inprimis autem Jesuitæ, Antichristi promachi, tanta calliditate, vehementia & impudentia pugnam instaurant, ut & sibi ipsis & aliis persuadeant, propediem de Evangelio actum fore. Sed vivit in excelsis Christus, & in hoc textu suo adversus istiusmodi machinationes consolatur, atque dicit: *portæ inferorum non prævalent.* Nulli conatus, nulla insidia, nulla calumnia, nulla potentia, nulla vires tantæ erunt, ut Ecclesiam & vera ejus membra expugnare possint. Confidite, Ego vici mundum, Joan. 16. vers. ult. Eundem & vos vincetis: Quoniam omne, quod natum est ex DEO, vicit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra, 1. Joan. 5. v. 4. In me enim, qui vos confortat, omnia potestis, Philip. 4. v. 13. Quia Ego vivo, & vos vivetis, Johan. 14. v. 19. Quapropter magno animo canite illud *Invocatio* cum Paulo. Quis nos separabit à caritate CHRISTI? tribulatio? an angustia? &c. In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, Rom. 8. v. 35.

Ex hac Christi sententiâ Pontificii eliciunt sumum illud Axioma, *Ecclesia non potest errare.* Et huic Axiomati postea superstruunt omnes suas traditiones, decreta, canones, qui quoniam ab Ecclesia sint dictati & traditi, omnino servari debeant: Ecclesia enim, dicunt, errare non potest. Sed sciant juniores, hoc dictum nullo modo simpliciter recipi aut probari posse. Etenim affirmare, quod Ecclesia omnino non erret, est ex Ecclesia Deum facere, qui solus errare nequit: cum tamen Ecclesia ex hominibus constet, de quibus Psalm. 116. v. 11. Omnis homo mendax. Et Esai. 53. v. 6. Omnes nos quasi oves erravimus. Sic ergo statuendum. Ecclesia, quatenus Christi Ecclesia est, & quatenus à Spiritu sancto se gubernari patitur, in articulis fidei non penitus tota errare potest. Semper enim aliqui inveniuntur, qui fundamentum tenent, & errores agnoscunt. Sed quia carnem quoque gestat, quæ non tota mutatur in Spiritum, ea propter etiam errare potest, & errat vel minus rectè intelligendo, vel minus firmiter credendo, quæ à DEO præscripta sunt: non tamen ita errat, ut in errore persistat & per-

eat: sed admonita & edocta melius, errores non defendit pertinaciter, sed culpam agnoscens confugit ad misericordiam DEI, in Christo promissam ac præstitam, atque ita illustratur ac salvatur. Vult quis hujus rei habere exempla? Audiat paucula. 1. Certè in deserto Aaron Pontifex cum Israelitis veri DEI fuit Ecclesia. Sed quam turpiter omnes illi erravere, Exod. 32. v. 1. cum absente Moysè vitulum aureum erexerunt, eidemque festum instituerunt? 2. Audi Jesaiam de Ecclesia sui temporis, cap. 42. v. 18. loquentem. Surdi audite, intuemini cœci ad videndum. Quis est cœcus, nisi servus (Jacob vel Israel) meus? & quis est surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? Quis cœcus, nisi qui venundatus est? & quis surdus, nisi servus Domini? 3. Quid verò dicit Daniel de Ecclesia sui temporis? Daniel. 9. v. 11. Omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam. Et vers. 6. Non obedivimus servis tuis Prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo Regibus nostris, Principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. Ergo, hæc cum vera sint, necesse est, ut vel quis dicat, omnem Ecclesiam in Israele tum periisse, vel Ecclesiam errare posse. 4. Adhæc, quis negabit, tempore Apostoli Pauli apud Corinthios, apud Galatas veram Christi Ecclesiam fuisse? Et tamen quam sollicitè eos monet: Ne decipiamini: Evigilate justè, & nolite peccare, 1. Cor. 15. v. 34. Credit, quod inter ipsos sint schismata, cap. 11. v. 18. Reprehendit ipsorum *ambiguitatem*. Metuit de ipsis, ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Evam decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus eorum à simplicitate erga Christum, 2. Cor. 11. v. 3. Galatas insensatos seu stultos vocat, atque ira fasciatis, ut non credant veritati, Galat. 3. v. 1. & metuit ne frustra inter ipsos laborarit, cap. 4. v. 11. Quorsum autem illæ admonitiones, exhortationes, reprehensiones, quorsum sollicitus ille metus, si Ecclesia errare non possit? Ergo meminimus, Christum hic non dixisse, Ecclesia non errabit; sed, portæ inferorum adversus eam non prævalent. Nam quemadmodum in pugna Israelitarum & Amalecitarum, modo hi modo illi prævaluerunt, donec tandem Moyses continuis suis precationibus victoriam pro Israelitis à DEO obtinuit: Exod. 17. v. 11. sic etiam quamdiu, hic mundus stabit, concertationes erunt inter veram Christi Ecclesiam, & ecclesiam malignantium, & partes ancipiti quasi Marte hæc Domini bella decertabunt. Sæpè app. rebit, ac si Amalecites viciissent, sicuti tempore Papatus talis forma ac status erat Ecclesiæ, ac si tota succubisset. Sed DEUS precibus & gemitibus suorum excitatus, his novissimis temporibus filium perditionis revelavit, & juxta Psalm. 52. v. 6. posuit salutare, ut jam fiducialiter prædiceretur. Ut ut autem antiquus hostis in squamis suis propterea ringatur, & dentibus frendat, nihil tamen proficit. In stemus precibus, & constanti fide Christum constiteamur, is populo suo dabit victoriam, & Satanam hostem propediem conteret sub pedibus nostris, Rom. 16. v. 20.

Quod verò hæctenus de tota Ecclesia dictum est, idem etiam de singulis fidelibus intelligi debet. Petrus, qui una cum Apostolis primus lapis

lapis est, superstructus super hoc fundamentum Ecclesiæ, quatenus fundamento huic adhæsit, eatenus errare non potuit, eatenus portæ inferorum ei non prævaluerunt. Christus enim fundamentum ejus, fuit & mansit firmus atque inconcussus. Quatenus autem homo fuit, quatenus carnem & sanguinem audivit, eatenus errare potuit, & aliquoties etiam erravit, ut in superioribus demonstratum est. Atque si in errore permansisset, anathema ipsi, ut Judæ, dixissemus, juxta regulam Pauli Galat. 1. v. 8. nihil obstante eo, quod Apostolus Domini fuit. Et quod in Petro, primario Ecclesiæ membro, verum est, quod errare poterit, idem in aliis Ecclesiæ membris omnibus, cujuscunque sint eruditionis, sapientiæ, dignitatis, eminentiæ, locum habebit. Ut sic verum maneat, quod David dixit: Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus: Ps. 32. v. 6. neque quisquam eximatur ab orationis dominicæ particula illa, & dimitte nobis debita nostra. Quam Apostoli ipsi, Ecclesiæ lumina & columnæ non minus à Christo orare sunt docti, quam alii homines. Quæ cum ita sint, cogitent pii, quam scelerata sit impudentia Jesuitarum, qui in Colloquio Ratisponensî Pontificem Romanum, loco S. S. Ecclesiæ obtrudere voluerunt, pro judice omnium controversiarum, eo quod Papa summus Pontifex errare non possit. Egregios verò Judices, ac ab erroribus alienos! Quorum alii fuerunt demoniaci, magi & incantatores: ut Alexander VI. Paulus III. Silvester II. Benedict. IX. Johan. XIII. Clemens IX. Post quem reliqui omnes ad Gregorium usque VII. hominem sceleratissimum, famosi fuere incantatores, Magos Ægyptios maleficiis longè superantes. Alii extreme ambitiosi. Quales fuere Joannes XXII. & XXIV. Bonifacius III. Martinus V. Bonifacius IIX. Hadrianus IV. Alexander III. Stephanus II. Damasus II. Constantinus I. Benedictus III. Leo IV. & plures. Alii profusus & pro. Ut Alexander VI. Sylvester II. Paulus III. Gregorius VII. Necromanticus, Leo X. Alii bellatores & carnifices, ut Innocentius II. Julius II. Gregorius IX. Clemens IV. & VI. Innocentius III. Paulus III. Alii fuere sacrilegi, ut Bonifacius VII. Clemens VIII. Alii lenones, ut Paulus III. Sixtus IV. Julius III. Clemens VIII. Alii adulteri, ut Sergius III. Lando I. Joannes II. Joannes XII. & XIII. Alexander VI. Joannes XIV. XIX. XXI. & XXIV. & alii multi. Alii scortatores: ut Joannes XI. Christophorus I. Joannes XIII. Alii Sodomitæ, ut Julius II. & III. Leo X. Sixtus IV. Alexander VI. Joannes XXIV. Clemens VIII. Alii incesti: ut Paulus III. Alexander VI. Benedictus I. Joannes XIII. Alii meretricum alumni: ut Victor III. Urbanus II. Joannes XI. Paulus III. Sixtus IV. Lucius III. Joannes VIII. & XIII. Alii rabidi & tyranni: ut Joannes XIII. Bonifacius VII. Paschalis II. Joannes XIV. Gregorius IX. Urbanus VI. Bonifacius VIII. Innocentius IV. & VII. Clemens VI. Stephanus VI. Sergius III. Et quis foetidissimam illam Vaticanam montis cloacam omnem expurgaret? Lege Platinam, Aventinum, Petrum de vineis, & alios probatos Scriptores veteres, & jurabis, vix nequiores homines uspiam in toto terrarum orbe vixisse, quam illi fuerint, qui sedem Romanam occuparunt. Et hos nos judices admitte-

mus in Ecclesia Christi? Hos nos fundamentum Ecclesiæ esse, & primatum in ea obtinere credemus? Ad orcum ergo relegentur Jesuitæ cum suo illo Judice. Nos probamus illam sententiam, quam Philippus in Locis posuit: Quando dissensio oritur de sententia Scripturæ: tum ipsum Dei verbum est Judex, & accedit confessio veræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur verbum tanquam judicem aliqui pii, & confessione firmorum adjuvantur infirmi, ut Christus inquit: Et tu conversus, confirma fratres tuos.

Sed tempus est, ut VI. & ult. membrum approbationis hujus etiam expendamus, ubi Christus dicit: *Et dabo tibi claves regni cælorum. Et quicquid alligaveris in terra, erit alligatum in cælis: & quicquid solaveris in terra, erit solutum in cælis.* Illustris hic & consolatorie plenissimus locus quoque turpissimè à Pontificiis Scriptoribus depravatur: quo circa genuinus & verus ejus sensus diligenter est investigandus, & corruptelæ graviter taxandæ atque rejiciendæ.

1. Inquirendum ante omnia, quid per *claves regni cælorum*, quas Christus hic pollicetur, sit intelligendum. Meminimus autem, Christum in hoc suo cum Apostolis instituto colloquio Ecclesiam suam contulisse, sive civitati sive domui, quam ipse ædificet. Et revera Ecclesia Christi est ipsius civitas, in qua colligit regni sui cives ac subditos: & ipsius domus, in quam reposuit omnia sua bona atque thesauros, quales sunt gratia DEI, remissio peccatorum, justitia, salus, vita æterna & consimilia. Hæc verò bona omnia, una cum ipsa domo nobis natura sunt occlusa. Quamprimum enim primi nostri parentes non contenti ea, in quam collocati erant, dignitate, claves quærebant, quibus ad summam Dei majestatem conscenderent, Deoque pares fierent, protinus omnem, quam ex imagine Dei creata excellentiam habebant, amiserunt, ex paradiso ejecti sunt, & nè reditum in eum pararent, occluso ostio Cherubin ante illum collocati sunt, cum gladio flammeo & versatili, ad custodiendam vitam ligni vitæ, Gen. 3. v. 24. Hanc occlusam regni cælorum portam nemo hominum recludere vel aperire potuit. Nostra enim peccata sunt quasi seræ & repagula, quibus omne os obstruitur, & totus mundus *condemnat*, id est, condemnationi obnoxius sit Deo, Rom. 3. v. 19. Et licet Deus legem dedit, ut per viam mandatorum nos ad salutem perduceret: tamen, quia lex quidem sancta, & mandatum justum ac bonum fuit, nos autem sub peccato venundati sumus, lex cœli januam usque ad eum non aperit, ut eandem longè arctius occludat, in nobis mortem operetur, & peccatum supra modum peccans efficiat, Rom. 7. v. 13. Quod ergo impossibile fuit legi, in quo infirmabatur per carnem, hoc præstitit Deus misso filio, Rom. 8. v. 3. hic propter peccata nostra moriens, & propter justificationem nostram resurgens, cælorum portas rursus aperuit. Ipse est perruptor, pandens iter ante nos, Mich. 2. v. 13. Hic est, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit, Apoc. 3. v. 7. Ideò rectè dicit ipse ad Nicodemum, Joan. 3. v. 13. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo. Erad Apostolos Johan. 14. v. 6. Nemo venit ad patrem, nisi per me.

Cate.

Cæterum, licet hæc cœli porta per Jesum Christum sit aperta omnibus hominibus. Ipsi enim sanguis propitiatio est pro totius mundi peccatis, 1. Johan. 2. v. 2. Et hac de causa rectè Jesaias dixit c. 66. v. 11. Aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur: tamen, quia quisque suis peccatis, maximè verò impœnitentia, eandem rursus sibi occludit, & tamen Christus mundum salvatum cupit, ideo dedit nobis ministerium reconciliationis, nos sibi reconcilians, non reputans peccata nostrâ, 2. Cor. 5. v. 19. Et hoc officium vocatur hoc loco *claves regni cœlorum*. Ut quemadmodum Christus habet clavem David, hoc est, plenariam, supremam, omnimodam & absolutam potestatem in regno Patris sui: ita hic Apostoli & reliqui, qui eorundem officio funguntur, partem aliquam administrationis in eodem regno consequuntur. Nam Jesaias 22. v. 22. cum Deus Sobnæ, qui supremus aula Regiæ moderator erat, per Prophetam dejectionem minaretur, & vicissim Eliacim ei substituere vellet, descripturus ejus administrationem, dicit: dabo clavem domus David super humerum ejus. Quod perinde est, ac si dixisset: Ego tradam ipsi summam potestatem in aula Regiæ Ezechîæ, & in civitate Hierusalem. Est enim traditio clavium antiquitus symbolum concreditiæ & commissiæ certæ alicujus potestatis: Nam qui claves habet, ille ad omnia penetrare potest. Ut, quando maritus uxori claves tradit, testatur, se eam pro consorte agnoscere, & eidem curam administrandæ domus imponere. Consimiliter œconomis & dispensatoribus claves à Dominis committuntur, quibus simul potestas traditur in conclavia, cellas, arcas, & ea, quæ in iis sunt recondita. Ad eundem modum principibus, quando intra civitates admittuntur, offeruntur claves à civibus, quod indicium est, ipsorum imperio se submittere, & agnoscere, penes ipsos esse potestatem aliquam in urbem intromittendi, vel etiam excludendi. Hanc Metaphoram Christus in præsentem transfert ad Ecclesiam, cujus claves Petro & Collegis pollicetur, quo ipso docet, se eos dispensatores & œconomos suos constituere velle, ut dignis quidem thesauros aperiant, eosque ad possessionem & usum fructum eorum admittant: indignis vero & prophanis occludant, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Complectitur ergo vocabulum *Clavis regni cœlorum* illam functionem, potestatem & auctoritatem, qua perficiuntur omnia, quæ sunt necessaria regno Christi, sive gubernandæ Ecclesiæ. Quod ipsum commodius exponi non potest, quam per hanc clavium similitudinem. Nam quemadmodum qui à Rege aliquo claves civitatis consecutus, ejus muneris est, si regi suo fidelis esse velit, veros cives intra mœnia recipere, civib. non sua sed Regis sui mandata proponere: curare ut cives habeant victum & amictum: illos, qui secundum leges Reipubl. vivere nolunt, ex civitate rursus ejicere: & si ipse solus omnibus administrandis sufficere non possit, alios subordinare, qui una secum ritè civitatem gubernent. In his ferè capitibus etiam potestas *clavium regni cœlorum* comprehensa depre-

henditur. Nam ministrorum est, primum per baptismum, tanquam per Sacramentum initiationis, intra Ecclesiam recipere cum infantes, tum adultos, quotquot sese offerunt, quod Jesum suum Dominum, Regem & Redemptorem agnoscere velint. Deinde eorundem est, jam receptis proponere & inculcare, non humana somnia, non Philosophorum placita, non Conciliabulorum decreta, sed Christi doctrinam, juxta ipsius mandatum, Matth. 28. v. 20. Docete eos servare omnia, quæ Ego præcepi vobis. Tertio dent etiam operam, ut verè fideles usu mensæ Dominicæ cibentur & potentur vivifica alimonia novi hominis: & ut vera fide, ceu nuptiali veste, induti, simul bonis operibus sese ornent. Quarto, si qui verò pacem Ecclesiæ turbant, & vel erronea doctrina, vel impia vita aliis scandalo sunt, nec ullam admonitionem admittere volunt, eos à communione sanctorum excludant, & ex Ecclesia ejiciant: si tamen per pœnitentiam revertantur, & scandalum deprecari fuerint, eosdem ad communionem rursus admittant. Denique quia, unicus minister populosa alicui nationi, vel etiam civitati sufficere nequit, ministerii etiam est, alios, sive diaconos, sive pastores, sive collegas assumere, ordinare & constituere, inter quos sit suus ordo & certi sint gradus, quo omnia fiant ordine & decenter, ad promovendam salutem fidelium, & stabilendum regnum Christi.

Ex his intelligi potest, quid per *claves regni cœlorum* intelligi debeat, & quæ sit earum potestas. Benè autem notandum est, quod *regni cœlorum* claves dicuntur, & non regni terrarum, ut diserte innuatur, hanc potestatem sese non ad temporalia & mundana, sed ad spiritualia tantum extendere. Unde sacrilega improbitas Pontificum Romanorum apparet, qui singulari actu & sagaci verfusia, sub titulo clavium, OMNIA, & cœlestia & terrestria, & spiritualia & temporalia suis pedibus subjecerunt. Et adhuc hodie Papa (qui Evangelium docere debebat, si Jesu Christi, cujus Vicarium se esse gloriatur, vestigia sequi vellet) possidere atque armata manu detinere nititur Jurisdictionem in terris, civitatibus, villis & locis, quæ jure divino & naturali certis suis magistratibus sunt subjecta. Rectè ergo & secundum Dei voluntatem faciunt superiores Magistratus, qui se huic Pontificis potestati opponunt, eique gladium Pauli, quem temere arripuit, cum Petri claves dudum abjecerit, merito ex manibus rursus excutunt. Quia Petro à Christo dictum est: Omnes qui gladium acceperunt, gladio peribunt, Matth. 26. v. 32. Se enim clavam potius, quam *clavem*, usurpare velle, re ipsa ostendit. Cumque *regni cœlorum* claves dicantur, manifestum est, magnam esse impudentiam, quod Romanenses nugantur, suum Pontificem etiam potestatem habere, non tantum in pœnam purgatorii, sed etiam in pœnam æternam gehennæ, saltem consequenter & indirectè, prout contendit Bellarm. libr. 1. cap. 7. Quasi is etiam *infernæ* claves accepisset. Et hoc sanè illo sensu verissimum esse credo, quod nullus Pontificum Romanorum, (aut certè per pauci) per multa secula regnum cœlorum sit ingressus, sed omnes ad infernum perrexerint.

Dicat quis. Quid ergo sentis de Episcopis Germaniæ?

Germanis, qui & ipsi habent Jurisdictionem & potestatem in temporalibus: num & his ea est excutienda? Respond. Debebant quidem Episcopi, juxta doctrinam Christi & Apostolorum, ipsi docere Evangelium & administrare Sacramenta, vel saltem idoneas personas conducere, quæ ipsorum loco id facerent, & mundana sive politica negotia politicis demandare. Sed quandoquidem usus jam à multis seculis in Romano imperio obtinuit, ut Episcopi Principum dignitatem & potestatem consecuti sint: age illa utantur & fruantur secundum leges & statuta. Tantum agnoscant, se hanc eminentiam habere, non ex potestate clavium regni cælorum, nec ex successione Apostolica, multo minus à Pontifice Romano: sed ex singulari indulgentia Romanorum Imperatoris, tanquam summi totius orbis Monarchæ in temporalibus. Ut enim ex DEI & Christi ordinatione Apostoli, eorumque Successores acceperunt in Ecclesia jus clavium in spiritualibus: ita orbis Monarchæ, ex DEI & Christi ordinatione in mundo acceperunt jus gladii in temporalibus. De DEI ordinatione dicit Daniel cap. 2. v. 37. Regi Nabuchodonosori: Tibi dedit DEUS cæli regnum & fortitudinem, imperium & gloriam: & omnia in quibus habitant filii hominum & bestia agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua constituit universa. Hoc jus Imperatoris Romani confirmavit Christus sua voce, Matth. 22. v. 21. inquit: Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Dum ergo Episcopi Imperatori suo sunt fideles, & hunc in temporalibus pro suo Superiori agnoscunt, non video, quomodo temporalia justo titulo ipsis eripi possint. Perinde enim, sicut sincerus Evangelii minister, si prædium à suo Principe dono acciperet, in eodem temporalia tractare posset: ita quoque Episcopus in suo districtu temporalia exercere potest. Utrique tamen, & Episcopus, & verbi minister, meminisse debent illius Christi: hoc licet facere, illud autem (nimirum Evangelium docere) non debetis omittere, Matth. 23. v. 23.

2. Considerandum secundo loco, cuinam claves regni cælorum sint conceditæ. Quia enim Christus hic dicit Petro, *tibi dabo*: ideo Pontificii etiam hinc Petri primatum, quem acceperit in omnes, in ipsos quoque Apostolos, elicere cupiunt: cui postea superstruunt primatum omnium eorum, qui ipsius sunt Successores in sede Romana. At verò hic, ut certum, verum & indubitatum sensum habeamus, totius historiæ contextus est attendendus. Christus omnes Apostolos interrogat, quemnam ipsum esse dicerent? Petrus omnium nomine respondit, & communis fidei confessionem edidit. Quod ergo Christus vicissim ei dicit, illud quoque communiter ad omnes referri debet. Imò mox Matth. 18. v. 18. quod hic soli Petro dixit, non tantum Apostolis, sed toti Ecclesiæ accommodabit. Adhæc in ipsa exhibitione ejus, quod pollicetur, aperte ostendit, quem intellectum velit, cui claves commiserit, dum Johan. 20. v. 22. omnes Apostolos insufflans, omnibus hanc potestatem tradidit. Et hunc esse verum atque catholicum hujus loci intellectum, illud veterimi Catholici Scriptores contestantur. Cyprianum superius citavimus ex lib. de Simpl. Præ-

latorum adversus Novatium, ubi inquit: Dominus his verbis Apostolis omnibus parem potestatem tribuit, ut hoc fuerint Apostoli, quod Petrus, pari confortio honoris & dignitatis præditi. D. Augustin. libr. 1. de doctrina Christiana cap. 18. Has claves dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent in cælo: & quæ ligaret in terra, ligata essent in cælo. Item in Joan. Tract. ultimo scribit: Petrus Apostolus, propter Apostolatus primatum, generalitate figurata gerebat personam Ecclesiæ. Quod enim ad ipsum pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum, &c.* universam significabat Ecclesiæ, quæ in hoc seculo diversis tentationibus, velut imbribus, fulminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram: unde & Petrus nomen accepit. Origenes quoque Homil. 1. in Matth. scribit: Verè ad Petrum dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiæ meam, & portæ inferorum non prævalent ei, & tamen omnibus Apostolis & omnibus quibusque perfectis fidelibus dictum videtur, quoniam omnes sunt Petrus & petra, & in omnibus ædificata est Ecclesia Christi, & adversus nullum eorum, qui tales sunt, portæ prævalent inferorum. Audis igitur Catholicam hujus loci expositionem, ex ore trium Catholicorum Doctorum prolata. Sed veterimos hosce Catholicos novitii Catholici rejiciunt, & pro adstruendo suo primatu, soli Petro claves traditas perfricta fronte contendunt. Quod tamen falsum esse jam intelleximus.

Ceterum ipsa etiam usurpatio clavium ostendit, Petrum, quoad illas, nullam prærogativam præreliquis Apostolis habuisse, sed reliquis *omnium* fuisse. Nam in superioribus, audivimus, quid potestate clavium sit accipiendum. Jam ergo membra illa singula Petro & Apostolis accommodemus. 1. Petrus non solus baptizavit, & credentes in civitatem Dei admisit: sed idem fecere etiam reliqui Apostoli. Philippus non tantum Samaritanos, Act. 8. v. 12. sed etiam v. 38. Eunuchum reginæ Candacis ex Æthiopia advenientem baptizavit, & inter cives regni Christi retulit. 2. Petrus docuit Evangelium de Christo: idem fecere etiam reliqui, & in primis Philippus Diaconus pertransiens evangelizavit cunctis civitatibus, donec veniret Cæsaream. Act. 8. v. ult. 3. Petrus cum fidelibus servavit communicationem fractionis, quod plerique de sacra Domini cœna intelligunt. Act. 2. v. 42. Eandem instituit Paulus apud Corinthios, 1. Cor. 11. v. 23. 4. Petrus pœna excommunicationis & clave ligante punivit Ananiam & Saphiram Spiritui sancto mentientes, Act. 5. v. 3. Eandem pœnam exercuit Paulus adversus Elymam Magum, Act. 13. v. 10. & incestuosum Corinthium, 1. Cor. 5. v. 4. 5. Cum status Ecclesiæ postularer, ut Diaconi eligerentur, qui præessent pauperibus, non solus Petrus eos elegit & ordinavit: sed Ecclesia eos statuit in conspectum Apostolorum, & hi conjunctim (non autem Petrus tanquam primas) super eos orarunt, eisque manus imposuerunt. Sic Paulus & Barnabas, segregatis ad ministerium gentium, non Petrus ordinationis causa manus im-

imposuit, sed Doctores Ecclesiae Antiochenae. Act. 13. v. 3. Paulus quoque Titum hoc sine in insula Creta reliquit, ut oppidatim ordinaret & constitueret presbyteros. Tit. 1. v. 5. *Παλι* itaque Apostolica commonstrat, usum clavium regni caelorum fuisse Apostolis, & eorum in ministerio Ecclesiastico successoribus, communem, nec ullam in ulla parte muneris Ecclesiastici prerogativam Petrum habuisse. Ex hoc fundamento recte in Schmalcaldicis Articulis non tantum hoc scriptum est: antiquitus nullum fuisse discrimen inter presbyteros & Episcopos, posterioribus autem temporibus solum ordinationem fecisse inter illos discrimen: sed etiam illud, quod Ecclesiae habeant jus eligendi, vocandi, & audiendi ministros, quando nimirum Episcopi vel sunt haeretici, vel idoneos ordinare recusant. Ecclesiae enim Christus claves regni caelorum post se reliquit. Matth. 18. v. 18. Nec nos hic curamus sannas & irrisiones Jesuitarum, qui clamitant: Ergo apud vos Evangelicos habent & exercent jus clavium sutores & sartores, omnes coci, cerdones, & sartores: sicque vos ipsam Babylonem exstruistis, & omnium rerum confusionem introducitis? Resp. Quis negabit in casu necessitatis quemvis fidelem alterum fidelem baptizare, docere, a peccatis absolvere, sicque ipsi aditum ad caelestem civitatem, quasi adhibitis clavibus, patefacere posse? Et hunc casum necessitatis Ecclesia semper excepit: ut testatur Hieronymus adversus Luciferianos, & Augustinus ad Fortunatum. Sed extraculum necessitatis nihil horum cuiquam permittitur, nisi sit legitime vocatus & constitutus Ecclesiae minister. Hoc enim pugnet contra regulam divinam: Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint? Rom. 10. v. 15. Item: Currebant & non mittebam. Jer. 23. v. 21. Nihilominus tamen interim singulis fidelium, etiam minimis, suum jus, quod in claves ex concessione Christi habent, manet integrum. Quemadmodum enim cives liberae alicujus civitatis omnes, quotquot urbem illam incolunt, commune jus habent, & parem libertatem, quod Respubl. attinet: & tamen ordinis causa eligunt Senatores, hisque praeficiunt Consulem, cui claves urbis & statuta tradunt, quo illa communi omnium nomine tueatur, atque juxta illam Respubl. administret: Ita quoque faciunt cives civitatis Dei. Habent hi quidem communionem omnium sanctorum, & omnia ipsorum sunt, sive Paulus, sive Petrus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura. 1. Cor. 3. v. 21. omnia possident sub uno capite Christo, qui omnia ad salutem necessariae Ecclesiae, & in ea sigillatim unicuique membro, etiam minimo, sanguinis sui merito acquisivit: & tamen ordinis causa eligunt certas personas, quibus demandant administrationem clavium regni caelorum, quales sunt apud nos Diaconi, Pastores, Doctores, Episcopi, sive Superintendentes & consimiles, ut ita juxta doctrinam Pauli apud nos omnia *ὁραμαίνωμεν καὶ τὰς ἑν* decenter & ordine fiant. 1. Cor. 14. v. ult.

Hic vero exclamabunt Jesuitae. Bene! bene! Hoc ipsum exemplum confirmat primatum Papae, qui cum Senatu Cardinalium supereminet in tota Christi Ecclesia, quemadmodum Consul & Senatores in urbe aliqua. At vero hoc exemplum adeo Papam nihil sublevat, ut totam ipsius tyran-

Harm. Tom. I.

nidem eyertat. Consul enim civitatis, non est Dominus, neque Senatus, neque civium, sed est eorundem concivis, tantum ordinis causa reliquis praelatus: nec quicquam facere audet proprio arbitrio, multo minus contra libertatem civium; sed omnia facere tenetur secundum leges & senatus consultum. De Papa autem Canonistae, ipsius adulescentes, olim jaetarunt, nec adhuc hodie Jesuitae id recantant: Quod Papa potestas sit talis ac tanta, ut nemo hominum ei dicere audeat: Cur ita facis? Dist. 40. cap. Si Papa. Certum est, si libera aliqua Respubl. talem Consulem fortiretur, cives ipsum tanquam tyrannum, ante Solis occasum urbe exacturi essent: & Alastor iste Ecclesiam Christi jam ultra octo secula, inde a Phocae temporibus; gravavit ac pressit. Ad haec unus Consul cum suo Senatu non potest pluribus, quam uni urbi, sub uno Principe aut Rege praeesse: at Jesuitae suum Romanum Praesulem omnibus civitatibus, principatibus, provinciis & regnis, adeoque toti orbi praeesse volunt, quod ut D. Petrus nunquam fecit, ita uni homini impossibile est. Habent enim singulae particulares Ecclesiae suos pastores & Doctores, sub uno capite Jesu Christo, prout docet Paulus Eph. 4. v. 11. Haec dicenda fuerunt ad explicationem ejus membri, cui datae & promissae sint claves regni caelorum. Ut constet inter Apostolos aequallem fuisse potestatem, nec Petro praereliquis Primatum datum esse.

Sed posito, non tamen concessio, quod Petro soli promissae sint & datae claves regni caelorum, & quod ipse Primatum habuerit suo tempore in universa Ecclesia Christi. Quid tamen hoc ad Pontificem Romanum? Ubi enim est testamentum Petri, quo Papa Romano haec claves legavit? Ubi Scriptura Christi, qua illos Petri in hac potestate Successores fecerit? Ubi per sex secula integra testimonia Patrum, quibus agnoverunt auctoritatem illam ad Pontificem Romanum extendere? Nam adhuc post sexcentimum Servatoris annum Gregorius ille Magnus, qui & ipse sedem Romanam obtinuit, & de quo vulgo verficulus habet:

Gregorius vitam finit Apostolicam.

tres Epistolas scripsit ad Imperatores & Patriarcham Constantinopolitanum lib. 4. Epist. 76. 80. 82. quibus gravissime & magna severitate asserit, temerarium & fastuosum esse, Oecumenici vel universalis Episcopi titulum assumere, sive de primatu gloriari. Haec adeo certa, firma & manifesta sunt, ut in hac tam clara Evangelii luce Pontificii ipsi, qui adhuc fronte praediti sunt, fateantur, probationem, quod Primatus Petri ad Romanam Ecclesiam pertineat, non ex Scriptura haberi posse, sed ex Traditionibus desumendam esse. Quid vero nos Christiani Traditionibus tribuere debeamus, passim ex Scriptura constat. Certe Paulus Coloss. 2. vers. 8. monet, ut videamus, ne quis nos decipiat juxta Traditionem hominum. Magis ergo ad legem & ad testimonium ablegamur, Jes. 8. v. 20. Unde & Berrhoenses commendantur, quod quotidie in Scripturis scrutati sint, an ea, quae audierant, ita se haberent. Act. 17. v. 11. Christus quoque in Evangelio, quando quaestiones ipsi sunt propositae, nunquam ad Traditiones, sed semper ad Scripturas interrogantes remisit:

Kkk

remisit:

remisit dicens: Quomodo legis? An non legis? Nunquamne legistis? Quomodo scriptum est? Erratis, nescientes scripturas. Ex scripturis ergo hi summi articuli, qui in Ecclesia valere debent, ostendendi & probandi sunt. Quod vero sine Scripturis dicitur, id eadem facilitate rejicitur, qua affertur. Ex Clemente quidem hanc Traditionem probare nituntur, qui ad fratrem Domini de Petri excessu scribens, testatur, sibi à Petro eandem ligandi & solvendi potestatem traditam esse, quam ipse à Christo acceperit. Sed nos iudicium Schmalcaldicorum Articulorum approbamus, in quibus scriptum est: Liber Clementis falso titulo prostat, & longe post Clementem ab homine malo scriptus est.

3. Etiam addendum est, quomodo hæc claves sint usurpandæ. Illud quidem Christus in presentia non expressit. Sed postquam post resurrectionem hanc promissionem exsolvit, atque hæc claves Apostolis exhibuit, ibi dixit Joan. 20. v. 21. *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos.* Verba hæc recte sunt expendenda. Filius missus est à Patre, ut sit Mediator inter Deum & homines. Mediationis autem officium duas partes complectitur. Unam ἀπολύτρωσιν. Redemptionem, Matt. 20. v. 21. Alteram ἀρχοντίαν, Ministerium, quo redemptio annunciat. Hac de causa & ἀρχιερέως & ἀποστόλων ἡ ὁμολογία ἡμῶν, Pontifex & Apostolus professionis nostræ. Heb. 3. v. 1. dicitur. Utraque pars inservit saluti hominum. Quod vero primam attinet, in ea Christus gloriam suam alteri non tradidit. Jes. 42. v. 8. Ipse enim est ἀρχηγός καὶ τελειώτης, Dux & perfectior fidei nostræ. Hebr. 12. v. 2. Et quidem tum, cum hæc verba diceret, opus redemptionis jam passione & morte sua perfecerat. Ergo tantum loquitur de ἀρχοντίαν & ministerio, in quo Apostoli & alii Doctores ipsi in Ecclesia successuri, & in eo tum seipso, tum alios, qui ipsos audient, salvos facturi erant. 1. Tim. 4. v. ult. Secundum subjectam ergo hanc materiam vult Christus dicere: Sicut ego missus fui, ut facerem non meam, sed Patris voluntatem, Joan. 6. v. 38. & ut proponerem non meam, sed illius doctrinam, qui misit me. Joh. 7. v. 26. Ita vos Apostoli, & quibuscunque committetur clavium ministerium, non debetis prædicare vestra placita, aut hominum commenta: sed toti pendere ex meo ore, tanquam vestri Magistri, qui vobis injungam, ut doceatis servare, quæ præcepi vobis, Matth. 23. v. 20. Quod jam de doctrina dictum, idem de potestate clavium intelligendum est. Est illa ministris tradita, non absoluta, ut pro sua libidine cælum claudant vel aperiant, cui ipsi velint. Sed quemadmodum Christus publicanis & peccatoribus, quantumque illi fuerint, si modo pœnitentiam egissent, peccata gratis, absque ulla satisfactione, aut taxæ pœnitentiariæ solutione, remisit: ita idem faciant fideles verbi ministri. Et contra sicuti Christus impœnitentibus, citra personarum respectum, sive Herodes sive Pontifices, Scribæ & Pharisei, sive integræ civitates si fuerint, quibus Evangelium absque profectu & salutari pœnitentia prædicatum est, tremendum Væ denunciavit & cælum clausit: ita etiam verbi ministri ipsius exemplum imitari debent. Hic rursus redarguitur Pontifex Romanus, qui sub prætextu clavium suam facit voluntatem, ut nimis vere de eo vaticinatus est, Daniel c. 11. v. 36.

Tantam enim licentiam sibi sumit, ut Canonistæ, ipsius assentatores, de ipso scripserint: Quod Pape potestas sit absoluta, & eam habeat, ut velit: quod habeat voluntatem pro ratione, in his quæ velit: quod supra jus & extra jus omnia possit: quod possit dispensare contra quatuor prima Concilia: item contra verba Evangelii, licet non contra mentem: quod contra Epistolas Pauli possit statuerre. Quantam quoque Simoniam cum his clavibus exercuerit, quas tamen Christus & Apostoli gratis adhibuerunt, id testatur taxa pœnitentiariæ à curia Romana ante hæc tempora evulgata: sed Deo sit laus, nunc passim reprobata.

Additur quarto efficacia harum clavium: *Quicquid alligaveris in terra, alligatum erit in cælo: & quicquid solveris in terra, erit solutum in cælo.* Sunt hæc desumpta ex usu fori. Ibi rei vinculi sistuntur iudici. Quos vero is absolvit & innocentes pronunciat, eos à vinculis solvere, & solutos libere abire jubet. Qui vero condemnantur, illi arctioribus vinculis adstringuntur, & manibus atque corpore ligati ad locum supplicii abducuntur. Peccata nostra sunt linum & cannabis, ex quibus non tantum impii homines sibi ipsis funiculos consuunt, ut trahant iniquitatem vanitatis, & plaustrum peccatorum. Jes. 5. v. 18. sed etiam Diabolus laqueos conficit, quibus ipsos captivos ducat ad suam voluntatem. 2. Timoth. 2. vers. ultim. donec eos vel tandem sistat iudici viventium & mortuorum. Et qui in hac vita ab hisce noxiis vinculis peccatorum non solutus fuerit, ille obnoxius erit æternæ condemnationi: ille ligatus manibus pedibusque mittetur in tenebras exteriores. Matth. 22. vers. 13. Et quidem David in Psalm. 146. vers. 8. Deo æterno hoc testimonium perhibet, quod is solvat compeditos. Atque imprimis Jesaias 42. vers. 7. & 49. vers. 9. & 61. vers. 1. hoc nomine Messiam commendat, quod vinculos sit soluturus, & de conclusione educturus. Zacharias quoque de eodem dixit, cap. 9. vers. 11. emisisti vinculos tuos de lacu, in quo non est aqua. Quis vero nobis ascendet ad hunc Deum & hunc Messiam in cælos, ubi nunc habitat, ut inde solutionem à peccatis nobis afferat? Hic ergo Christus nobis respondet cum Moyse Deut. 30. v. 12. & Paulo Rom. 10. vers. 8. Non dicas, quis valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos? Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Nimirum Christus in ministerio post se reliquit *claves regni cælorum*, addita hac pollicitatione simul & comminatione, quod cuicumque per ministros aperiantur fores regni cælorum in terra, eidem etiam aperta sint in cælo. Et contra, cuicumque per ministros oclusum fuerit cælum in terra, eidem etiam oclusum manebit in cælo. Nam potentia hæc bimembris est, quia Christus respicit ex una parte diffidentiam, ex altera securitatem hominum. In multorum cordibus oritur diffidentia ob vilem speciem ministrorum Ecclesiæ, ut cogitent, quomodo hic mihi dimittere potest peccata, si Deus è cælo mihi diceret, ut paralytico, Mat. 9. v. 2. Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua, tum sane bono animo essem? Sed Christus huiusmodi diffidenti homini respondet: Noli expedare novam revelationem è cælo, sed si à peccatis liber fieri

fieri velis, accede ministrum, & ab ipso absolutionem & applicationem clavium regni cœlorum pete. Si ille te poenitentem absolverit, tam firma fide illam solutionem suscipe, ac si ego ipse manu & cœlo exserta te à peccatis absolvisssem, & cœlum tibi apertum esse contestatus fuisssem. Adde, si spiritualibus oculis præditus esses, tum videres peccatorum vincula, quibus hæctenus impœnitens constrictus fuisti, de manibus pedibusque tuis, adeoque omnibus membris, non aliter decidere, quam Act. 12. v. 5. catenæ ceciderunt de manibus Petri, cum Angelus in carcere latus ipsius percuteret. Contra multi sunt præfracti & petulantes verbi atque omnis pietatis contemptores, qui, quando ob nequitiam suam arguuntur, & sub æternarum poenarum dispendio ad fidem & pietatem commoventur, comminationes omnes rident, correptiones ferre nolunt, disciplinam omnem oderunt, & exclamant: quid ego Passorum cura minas: nihilominus mihi cibus potusque sapiunt, & satis molli ter somnum capio, ut ut ipsi de inferni poenis multum garriant. His Christus dicit: *Quicquid alligatum erit in terra, ligatum etiam erit in cœlis.* Quasi diceret: licet jam talis impœnitens peccator non sentiat, inquantis hæreat miseriis, in illo tamen magno & terribili Domini die experietur, peccata sua super caput ipsi imposita, eumque vincunt ad severi iudicis tribunal abductum esse, ut ibi condemnatus, & æternis vinculis constrictus, in gehennam ignis & itagnum sulphuris abiciatur, ubi vermis non moritur, & ignis non exstinguetur.

Cæterum circa hanc ligandi & solvendi potestatem dupliciter erratur. Ex una parte Pontificii hanc potestatem adscribunt Characteri Episcopali, qui in susceptione Ordinum personæ ordinatæ imprimatur. Cum tamen Scriptura ejusmodi characterem penitus ignoret, nec ullius alterius mentionem faciat, quam quem Antichristus suis creaturis sit impressurus, de quo Ap. 13. v. 17. & 14. v. 9. & 16. v. 2. & 19. v. 20. & 20. v. 4. Sicque existimant, sacrificium posse, ex plenitudine potestatis sibi ab Episcopo dari, peccata & dimittere & retinere, cui velit. Ex altera vero parte Calviniani existimant, ministros Ecclesiæ nimium sibi arrogare, quando ipsi peccata remittunt, cum tantum poenitentibus remissionem peccatorum in cœlis à DEO factam & datam, ipsi in terris denunciare debeant. Quemadmodum enim in veteri Testamento Sacerdotes leprosum non à lepra sanabant, sed jam ante divinitus mundatos, mundos esse tantum pronuntiabant: sic putant in Novo Testamento verbi ministros peccatoribus non peccata dimittere, sed jam ante dimissa tantum denunciare. Cum tamen Christus non dicat, cuiusque; annuntiaveritis peccatorum remissionem, sed *cuiusque, remiseritis peccata.* Ergo ipse minister vel remittit, vel retinet peccata: non tamen ut Dominus, verum ut minister. Uterque autem error hinc provenit, quod isti non attendunt, unde dependeat virtus & efficacia sive clavium sive ministrorum. Nimirum non ab hominibus ministrantibus, sed à Christo instituentem. Qui Dominus à ministerio suo non procul abest segregatus, sed cum eo præsens efficaciter operatur id, quod vel per manus ministrorum expedit, vel per os ipsorum pronuntiat. Pro Christo enim legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro

Harm. Tom. I.

Christo, reconciliamini Deo, dicit Paul. 2. Cor. 5. v. 20. Et rursus v. 18. Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis. Quemadmodum ergo Petrus de Christo dixit ad Cornelium, Act. 10. v. 38. Jesus sanavit omnes oppressos à Diabolo, quoniam Deus erat cum illo: ita nos dicere possumus de verbi ministris, liberant hi à laqueis Satanae, quia Christus est cum ipsis in ministerio, in tractatione verbi & Sacramentorum. Tres enim sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, (seu ministerium. Pars enim ponitur pro toto) & sanguis (i.e. meritum Christi) & hi tres in unum sunt. Ergo Christus non abest à ministerio sed præsentissimus Spiritu & efficacia operatur, quod verbis promittit. Hinc Paul. Corinthium ab excommunicatione absolvens & ad communionem recipiens, dicit 2 Cor. 2. v. 10. in persona Christi (nota, in Christi persona) propter vos donavi, quod donavi, ut non circumveniamur à Satana. Quemadmodum enim legatus Principis, quicquid secundum instructionem datam in nomine principis facit, in persona ejus fecisse putatur: ita quicquid minister secundum instructionem à Christo datam facit, quia in Christi nomine poenitentiam & remissionem peccatorum prædicare iussus est, Luc. 24. v. 47. recte in persona Christi id fecisse dicitur.

Aliqui cum Origine hom. 6. in Matth. singulares argutias in eo quærunt, quod hic dictum est Petro: quicquid solveris *in cœlis.* Postea vero Matth. 18, 18. reliquis Apostolis tantum dicitur, quicquid solveritis *in cœlo.* Inde colligit differentiam esse inter Petrum & reliquos Apostolos. His enim potestatem tribui tantum in uno cœlo remittendi peccata: Petro autem in omnibus cœlis. Ut ita magna sit hujus præ eminentia præ reliquis. Verum enim vero quis adeo excors est, ut super tam fluidum fundamentum, tantum fidei Christianæ Articulum superstruere velit? In scriptura enim passim vocabula *cælum* & *cæli*, in singulari & plurali numero, indifferenter sumuntur. Inspiciat quis orationem Dominicam, qua nihil inter Christianos est magis vulgare, deprehendet in ea Matth. 6. v. 9. Patrem compellari Dominum *in cœlis*, in cœlis: mox autem v. 11. peti, ut hujus Patris voluntas fiat *in cœlo*, sicut in terra. Idem videre est, Luc. 11. v. 2. & 3. Quis vero unquam hinc conclusit, Dei Patris voluntatem non in omnibus cœlis, sed in uno tantum, fieri debere? Sed hujusmodi nugas & ineptias Jesuitæ ambabus manibus amplectuntur, & mordicus tenent, tantum ut quoquo modo Pontificis sui Romani primatum obtinere queant.

Sed nos missis hisce nugis brevem *ἀνακεφαλαίωσιν* membrorum, quæ hæctenus copiose à nobis tractata sunt, instituamus. Primum fuit, quod ex Apostolorum relatione intelleximus, semper diversas hominum in fidei & religionis negotio opiniones esse. Ea diversitate nos non offendamur. Impossibile enim est, ut homines, quorum intellectus natura corruptus est, nec quicquam rerum divinarum assequitur, nisi cœlestis Patris gratia illuminaretur, idem recte de Deo sentiant. Alterum est, ut persuasum nobis habeamus, esse tantum unam veram & synceram Catholicam atque Apostolicam fidem, cujus summam Petrus in sua confessione proposuerit. Tertium est, ut sciamus, per hanc fidem singu-

Kkkk 2

los

los credentes, ceu vivos lapides superstrui Christo solido fundamento, in spiritualem domum Deo, quæ Ecclesia vocatur. Quartum est, quod per hanc fidem consequamur veram beatitudinem, qua natura caremus, Christus autem nobis eam acquisiuit, & in Ecclesiam reposuit, ut inde nos thesaurum illum accipiamus. Quintum est, quod hunc thesaurum Apostoli & verbi ministri distribuere debeant. His enim Christus claves ad hanc suam domum & singula ipsius conclavia concedidit, ut inde per verbum & Sacramenta pœnitentibus proferant remissionem peccatorum, & cum ea iustitiam, vitam & salutem æternam; impœnitentibus autem peccata retineant, & æternæ mortis condemnationem denuncient.

Hæc vero membra omnia inter se collata nobis monstrant, quænam sit vera Ecclesia Christi in his terris. Pontificii Ecclesiam definire solent ejusmodi cœtum, qui Romanum Pontificem agnoscat caput, & reliquæ hierarchiæ Ecclesiasticæ subiectus, probet ac seruet omnia, quæcunque ab illis sunt tradita, instituta & præcepta. Verum quia Ecclesia ex Scripturarum traditione tantum, unum agnoscat caput Ecclesiæ, JESUM CHRISTUM, qui omnia in omnibus adimplet. Eph. 1. v. 22. Ideo ex præsentis loco nos Ecclesiam definimus esse cœtum ejusmodi hominum, qui ingenua confessione à reliquo mundo separatur, vera fide per ministerium verbi tanquam vivi lapides superstruuntur unico fundamento Jesu Christo, filio viventis Dei, per quem regenerantur & vivificantur ad æternam beatitudinem: ita ut nequidem portæ inferorum eam prævalere queant. Hinc & Ecclesia dicitur in Symbolo Apostolico *Catholica*, non eo sensu, quo Pontificii volunt: quibus Catholicum idem est quod *Romanum*: & vice versa: Sed primum hoc respectu, quia in Veteri Testamento Ecclesia alligata erat tantum ad unum aliquem populum, scilicet Israeliticum, sicque tantum ad unum certum locum. De quo Psalm. 76. v. 1. & 147. v. 19. In novo autem Testamento sine discrimine locorum, nationum, linguarum, populorum & personarum Christus per Evangelium collegit Ecclesiam καὶ ὅλον τὸν κόσμον, per totum mundum. Matth. 28. vers. 19. Marc. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 1. v. 8. Deinde etiam hoc respectu, quia multæ sunt in orbe particulares Ecclesiæ: qualis fuit Romæ domestica Ecclesia Aquilæ. Rom. 16. v. 5. 1. Cor. 16. v. 19. Item Ecclesiæ Asiæ: 1. Cor. 16. v. 18. Ecclesia Hierosolymitana. Act. 11. v. 22, Ecclesia Antiochena. Act. 13. v. 1. Hæc vero Ecclesiæ omnes in unum corpus ad Christum sunt aggregandæ, ut omnes cœdificentur in unum habitaculum Dei in Spiritu sancto: ideo ad differentiam particularium cœtuum, tota Ecclesia in unum collecta dicitur *Catholica*. Denique *Catholicum* in vera significatione Theologica opponitur ei, quod est *Hæreticum*. Sicut manifeste apparet ex Codice Imperatoris Justiniani de fide Catholica. Læcunctos populos. Unde etiam Patres Symboli Niceni illum Articulum: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sic interpretati sunt: Credo unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Ut nimirum nihil sit Catholicum, quod non etiam sit Apostolicum. Et vicissim omne Apostolicum sit Catholicum. Sicut

etiam Athanasius in suo Symbolo illam ipsam confessionem Petri, quam in superioribus tractavimus, nuncupat τὴν καθολικὴν πίστιν, Catholicam fidem. Jesuitæ pro suo Pontifice Romano, & pro ipsius Ecclesiæ corrogant testimonia ex Iaponia & Lappia, ut ostendant, illum sibi adhaerentem habere Catholicam Ecclesiam, quia in extremis finibus orbis terrarum inveniantur, qui Papam Romanum pro capite Ecclesiæ agnoscant. Nos Lutheranos vero de Catholica Ecclesia gloriari non posse, siquidem inter angustos Germaniæ & paucarum aliarum gentium terminos conclusi simus.

At vero, quemadmodum in hac historia Christus non Judæorum Sacerdotes, Scribas & Pharisæos pro vera Ecclesia agnoscat, licet fuerint in ordinaria successione Aaronis, licet magnis titulis superbiebant, licet omnes angulos Judææ & Galiliæ suis traditionibus replerint, eo quod destituerentur vera Messia agnitione & fide. Ita adhuc hodie Christus Papam coronatum, Cardinales galeros, Episcopos insulatos, Abbates bicornes, & universam unctam atque rasam Antichristi cohortem non pro vera catholica Ecclesia habet, licet per jurata sua mancipia Jesuitas, humanas suas traditiones, & Conciliorum suorum Canones in regnum China & ad ultimam Thule usque deportari curet, iisque universum terrarum orbem dementet atque compleat. Et quemadmodum vicissim Jesus Christus hic Petrum atque reliquos Apostolos pro Catholicis & pro sua Ecclesia agnoscat, eosque beatos & regni cœlorum heredes pronuntiat, adversus quos ne inferorum quidem portæ prævalere possint, licet fuerint pusillus grex: idque facit propterea, quia illam fidem profitentur, quam Deus Pater revelavit, quam scriptura sacra annotavit, quam Prophetæ prænuntiarunt, quam Christus approbavit. Ita certi sumus, quod & nostra Ecclesia, quæ eandem hanc fidem sequitur & sonat, quam omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres & Confessores ex verbo DEI amplexi sunt & tradiderunt, sit vere Catholica Ecclesia, & quod à Christo capite suo pro tali agnoscat & habeatur, licet angustis terminis coarctetur, & quoad externam speciem Romanæ pompæ nulla ex parte comparari possit. Clament jam Jesuitæ, nos esse hæreticos, nos esse schismaticos: denegent nobis titulum Catholicorum. Quid nos grunnitus istorum porcorum, quid clamores rudentium asinorum curamus? Quasi vero Petrus magnopere curavit, se ab Hanna & Caipha pro hæretico, suos collegas pro schismaticis habitos, eo quod insolito Synedrio Hierosolymitano Jesum verum Messiam & mundi Salvatorem esse professi sunt: Beatus prædicatus est à fonte omnis beatitudinis: sic Catholici & Apostolici Christiani nos coram DEO sumus propter Catholicam & Apostolicam fidem, quam profiteremur. Licet hodie circa finem mundi hæc fides apud pauciores, quam superstitiones & nugæ Pontificiæ, locum inveniant. Nam & Christus ipse pronuntiavit, Lucæ 13. v. 8. Putas quod filius hominis, quando venerit, inveniet fidem in terra? Quemadmodum enim temporibus antediluvianis nec Noachus propterea hæreticus fuit, licet ipsius Ecclesia intra octo

octo animarum angustias conclusa fuerit, nec reliqui Catholici fuerunt, licet universa caro corruerit viam suam super terra, Genes. 6. vers. 12. Ita ne hisce novissimis temporibus. Papa cum triplici corona, & tesuita cum quadratis suis pileolis propterea Catholici sunt, licet omnem terram sua superstitione perreptarint, & in omnibus nationibus fortalitia sua, sive Collegia, erexerint: nec nos propterea haeretici erimus, licet nec dimidiata quidem Germania, nedum exteræ nationes, Evangelium unquam suscipere, modo nos Apostolicam illam Confessionem de Trinitate, persona & officio Christi adversus Pontificios, Calvinianos & reliquos haereticos fortiter ac constanter tueamur, atque verum usum clavium regni caelorum firmiter retineamus. Quamquam nondum spem omnem abjecerimus, quasi Christus promissa sua Ecclesiae non ulterius etiam ante novissimum diem propagaturus esset.

VI. Post commendatam & comprobata Petri confessionem, Dominus suis, & quidem cum interminatione prohibet, nec cui dicant se esse Christum, & mox subjicit praedicationem de sua passione & resurrectione. Ut sic ostendat, quare & quamdiu hoc de se Encomium taceri velit. Fuit enim temporarium interdictum, & non perpetuum. Voluit nimirum taceri hoc mysterium ad tempus usque suae glorificationis: ne dum illi, plurimum inter se diversi status, humiliationis & exaltationis confunderentur. Sed placet hujus interdicti causas aliquanto plenius considerare.

Prima fuit, quod Apostoli ipsi nondum satis erant instructi ad praedicandum: nondum mysteria regni Christi plene tenebant: terrenum regnum una cum Pharisaeis sibi imaginabantur, de quo aliquoties inter se altercabantur: nondum intelligentiam Scripturarum consecuti fuerant: nondum virtutem Spiritus sancti ex alto supervenientis acceperant, qua instructi adversarii male resisterent possent. Altera fuit ex parte populi, apud quem quoque adhuc multa obstabant, ob quae nondum praedicari poterat, Jesum esse Christum. Nam & hic sibi Messiam regnum mundanum somniabat. Cumque instaret tempus mortis, haec confessio ludibrio fuisset, propter infirmitatem fidei. Si enim Apostoli Jesum praedicaissent filium Dei vivi, postea autem idem occideretur, sicut factum est, tum id minime cum concione convenire visum fuisset. Adhuc scandalum crucis tanto gravius futurum erat, quanto magis populus in spem libertatis erectus fuisset. Itaque omnino consultius fuit, tantisper plenam hujus doctrinae praedicationem differri, donec Jesus, virtute resurrectionis ex mortuis, re ipsa demonstraret, se Dei filium esse. Act. 13. vers. 33. Rom. 1. vers. 4. sicque offendiculum, quod ex crucis morte exortum erat, per gloriam resurrectionis rursus tolleretur. Atqui instet quis, Apostoli jam ante Matth. 10. vers. 7. emissi fuerant ad praedicandum? Respondeo. Omnino emissi fuerunt: non tamen ut docerent, Jesum esse filium Dei & Messiam promissum. Sed ut animos hominum excitarent & quasi prepararent ad ipsum Christum audiendum. Verba enim instructionis erant, ut praedicarent: quia appropinquasset regnum caelorum. Ex his videmus provi-

dam Dei dispensationem in revelandis iis, quae ad perfectam veritatis & salutis cognitionem faciunt. Jesum Christum agnoscere est vita aeterna: & salutaris humanae Deus adeo est cupidus, ut filium suum pro hominibus crucifigendum in mundum miserit: veruntamen haec singula quavis suo tempore & ordine ita praedicari voluit, ne unum ab altero everteretur, sed ut singula membra se mutuo confirmarent. Interim illud, quod nondum revelatum fuit, Electis non fuit fraudi. Siquidem quod à Deo nondum revelatum erat, illud citra jacturam salutis ignorabant. Nos ergo quoque fidem nostram juxta revelatum Dei verbum dirigamus, & à salutis via non aberrabimus.

Nemo autem hoc temporario Christi praeccepto abutatur, quasi liceat tempore persecutionis quoad confessionem aliqua reticere. Neque enim hic agit Christus de Confessione edenda coram persecutoribus, de qua loquitur dictum Matth. 10. v. 32. Sed agit de praedicatione Evangelii publica, quae suo tempore ministerio Apostolorum per univrsam orbem terrarum spargenda erat. Et quoad illam Christus hoc suo praeccepto verbi ministris duas regulas praescribit in sacro suo ministerio observandas. 1. Ne nimis mature ad docendum proficiant: sed primum solide se in sacris institui patiantur, & deinde recte instituti legitimam vocationem expectent. Invenias praecocis ingenii juvenes, qui quando tenuem aliquem gustum rerum divinarum perceperunt, protinus ad docendum minus provolant, seque sublimibus disputationibus immiscent, quibus postea turpiter & ipsi suam infantiam produnt, & adversarii religionis doctrinam deridendam propinant. Apostoli non tantum hic reprimuntur, ne ante tempus ad docendum munus publicum adspirent, sed etiam post resurrectionem, cum jam per dies quadraginta Christus ipsis locutus esset de regno Dei, tamen tam diu Hierosolymis expectare iussi fuerunt, donec promissum à Patre Spiritum acceperant, sicque in vocatione legitima confirmati essent. Ad confirmationem hujus regulae facit, quod Jacobus scribit, cap. 3. vers. 1. Nolite plures Magistri fieri fratres mei, quoniam majus iudicium sumetis. In multis enim offendimus omnes. Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir. Linguae lapsus ubi vis locorum noxius est, maxime autem in docendo. Ibi enim errans erroris causa est omnibus, qui ipsum audiunt, ut erroneam doctrinam suscipiant. Haec si in perditionem homines praecipitet, tum errans Doctor reus est omnium animarum, quae pereunt. Quocirca nemo, nisi probe institutus, officium docendi in Ecclesia suscipiat. 2. Altera regula est, ut ordinarii & legitimi verbi ministri diligentem rationem loci, temporis & personarum habeant: nec quidvis ubi vis inter omnes proponant: sed attendant, quid absque scandalo dici possit, quidque ad aedificationem faciat, D. Paulus 2. Timoth. 2. vers. 15. vult, ut minister verbi recte secet sermonem veritatis: sumto vocabulo ex Levitico ministerio, ubi Sacerdotes in mactandis victimis sanctum à profano discernere, atque in super partes in sacrificiis recte distribuere tenebantur, ut scirent, quae Deo, quae sacerdotibus, quae sacrificantibus debebantur. Sic verbi minister prudenter circum-

circumspiciat, quibus rationibus quisque moveri possit, ut pro diversitate ingeniorum, alios quidem leniore institutione, alios vero acriori correptione Christo lucrificiat. Et hoc etiam requirit Christus, quando Matth. 24. v. 45. vult, ut fi-

delis & prudens servus familiæ cibum det in tempore. Sic Paulus alios quosdam auditores mitius, alios severius tractavit, prout intellexit, unumquemque in doctrina fidei instituit, retineri & corroborari posse.

CAPUT LXXXVI.

CONTINENS HISTORIAM IN QVA CHRISTUS DISCIPULOS INSTITUERE INCIPIT DE FUTURA SUA PASSIONE, ET HORTATUR AD SUSCIPIENDAM CRUCEM, MATTH. 16. v. 21.

MARC. 8. v. 31. & LUC. 9. v. 22.

RATIO ORDINIS.

Manc concionem Christi præcedens colloquium cum Apostolis immediate sequi, omnes tres Evangelistæ unanimi consensu testantur. Ita enim præcedentibus hæc connectunt, ut ab aliquibus intra complexum unius capituli affluantur. Quos nos secuti essemus, nisi Matthæus & Marcus diserte testarentur, Christum hic *cepisse* de passione & morte sua docere. Et quia hoc principium notatione dignum est, peculiari etiam capite hunc locum merito dignati sumus. *Capit autem docere & hunc sermonem loqui periphrasice aperte sive palam.* Quia ante hæc tempora recte latenter passionem & resurrectionem quoque insinuarat. Joan. 2. v. 19. Destruite templum hoc, & in trib. diebus excitabo illud. Ioan. 3. v. 14. Sicut Moyses in deserto exaltavit serpentem: ita exaltari oportet filium hominis. Ioan. 6. v. 51. Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Matt. 12. v. 10. Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus dieb. & tribus noctibus. Quod ipsum repetitur à Christo. Matth. 16. v. 4. Hæc vero quasi ænigmatica erant. Jam vero disertis verbis passionem per Circumstantias discipulis aperit.

Utilis autem est observatio, si attendatur, quæ ratione hæc sequentia membra cum præcedenti doctrina cohæreant. Est enim ordo pulcherrimus. Petrus splendidam ediderat Confessionem, tam de persona, quam de officio Christi. Ratione personæ dixerat, esse eum Deum & hominem: ratione officii dixerat, esse ipsum Messiam, id est, regem & Sacerdotem, suos subditos redimentem, vivificantem & sanctificantem. Hisce jam subiungit ipse Christus concionem de passione sua & morte, ostendens, fidem non debere tantum in genere credere Christum esse redemptorem, propitiatorem & vivificantem: sed hoc potissimum pertinet ad fidem justificantem, ut sciat & statuat, quomodo & quæ ratione Christus, sit redemptor propitiator & vita, per mortem scilicet & passionem suam. Et hoc mem-

brum adeo est necessarium, ut discipulis, cum illud non recte tenerent, interdicit, ne de præcedente confessione quicquam prædicent. Ut recte Origenes dixerit: Inutile est Jesum prædicare, & crucem tacere. Et quidem Petrum, qui à priorie confessione non recedebat, cum articulum passionis Christi (ut audiemus) repudiaret, licet bona hoc fecerit intentione: tamen non beatum pronuntiat, sed *Satanam* appellat, & à se repellit, si perseveret. Eadem ratione etiam illud, quod dixit, *Beatus es Simon*, explicat: idque non solis Apostolis, sed *convocata turba*, ut sciamus, hanc doctrinam non ad solos Apostolos, sed ad omnes, qui Christum sequuntur, pertinere. In ejus ergo præsentia diserte 1. de abnegatione sui. 2. de tolerantia crucis. 3. de sequela Christi. Novum autem nomen *crucis* afflictionibus Ecclesiæ imponit, multas ob causas, ut exponemus. Maxime, ut indicet crucem immixtam non esse signum iræ divinæ, sed iudicium salutis Phil. 1. v. 28. Et quod fiat sacrificium Deo placens, si feratur in fide crucis Christi, sicut Origenes dicit. Imo, Christus in illis adversitatibus nos juvat: ita ut ipse quidem graviores & ponderosiores, nos autem cum Simone Cyrenæo leviores partem crucis feramus. Matth. 27. v. 32. Ne vero videretur Christus suis, quos statim, ubi beatos eos pronuntiavit, cruce onerat, illudere, exponit ejus causam: quod scilicet hæc sit via ad veram & æternam vitam, & mentionem subjicit gloriosi sui adventus ad iudicium, ut ostendat, beatitudinem, de qua Evangelium concionatur, non sitam esse in delictis & commoditatibus hujus vitæ: sed pertinere ad futurum seculum. Ibi enim vita nostra manifestabitur. Col. 3. v. 4. Non ergo ludunt operam, qui propter confessionem nominis Christi hujus vitæ commoditatibus renuntiant. Addit denique futurum, ut mox quibusdam ex Apostolis in hac vita gustus quidam gloriæ regni Christi ostendatur. Sicuti hæc omnia pluribus audiemus.

CHRISTUS INCIPIT CONCIONARI DE SUA PASSIONE, SUOSQUE AD CRUCIS TOLERANTIAM HORTATUR. MATTH. 16.

21. Ἀπὸ τότε ἤρξατο Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱερουσόλυμα, καὶ

21. Ex eo tempore cepit Jesus indicare discipulis suis, quod oporteret ipsum abire Hierosolymam, &